

Loc. 3.



FREDERICI STANHEIMII
INTRODVCTIO
AD
CHRONOLOGIAM
ET
HISTORIAM SACRAM.

AVCTORE
FRIDERICO STANHEIMIO
PREFESSE
PREFESSE
ADNOTATIONIBUS
ET
PREFATIONE



HALLE.
PUBLICIS IONANNIS GODOFRIDI TALENDI
MDCCCLXXX



FRIDERICI SPANHEMII FR. F.
INTRODVCTIO
AD
CHRONOLOGIAM
ET
HISTORIAM SACRAM.

IN VSVM
LECTIONVM ACADEMICARVM
RECENSIT BREVESQVE ADNOTATIONES
ADIECIT


S. E. T. STVBENRAVCH
HIST. S. ET ANTIQ. PROF.



HALAE,
IMPENSIS IOHANNIS GODOFREDI TRAMPIL.
c13 13 cc lxx.

FRIDERICI SPANHEIMI ER. M.
 INTRODUCTIO
 AD
 CHRONOLOGIAM
 ET
 HISTORIAM SACRAM.
 IN VIVIS
 LECTIO NUM ACADEMICARUM
 RECENSIT BREVIORIBUS ADNOTATIONIBUS

KÖN. PR. FR.
 UNIVERS.
 ZV HALLE



HALLE,
 IMPRINSIS IOHANNIS GODEFRIDI TRAMPH.
 MDCCCLXXII





PRAEFATIO EDITORIS.

Non longa excufatione opus habere videtur noua huius libelli editio, cum prae multis aliis libellis, qui *Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti* in vsum lectionum academicarum pertractarunt, haec SPANHEMII *Introductio* non vno modo sese commendat, nec in librariorum officinis occurrat. Cum itaque per hoc femestre *Historiam Ecclesiasticam Vet. Testamenti* in lectionibus meis publicis pertractare conftituiffem, et Thefibus in calamum dictandis nimium temporis me confumturum auditoribusque meis nimis hoc fore moleftum facile conicerem; in eorum commodum hanc nouam editionem adornari curau.

-OHTEM

Sunt

PRAEFATIO.

Sunt quidem nonnulla ab Auctore pro
sui temporis ratione in hoc libro conscripta,
quibus calculum adiacere plane non possum,
hoc tamen non obstante hanc *Introductionem*
sine additionibus typis describi constitueram.
Cum vero Vir humanissimus I. G. TRAM-
PIVS, cuius sumtibus prodit hicce libellus,
nouam editionem aliquomodo auctam veller,
non potui non eius votis respondere. Non-
nulla notabam in quibus ab Auctore mihi
dissentendum esse putavi, quibus plura ad-
dere potuisssem, nisi molem Scripti nimis au-
gere religioni mihi duxissem, ne Studiosi,
quorum plurimis curra supellex, ab emtione li-
bri deterrentur. Hae meae qualescunque ob-
seruationes typorum diuersitate facile ab ipsis
auctoris verbis dignoscuntur. Alia quaedam
Vir Clarissimus mihi que amicissimus GE. LVD.
VOGEL A. M. huic libello addere voluit, quo
melius praeconcepatae quaedam notiones ex
animis eorum, qui scientiis theologicis ope-
ram dant, euelli possint. Has adnotationes
littera initiali V. notari curavi. Dabam Ha-
lae d. XXVII. Iunii MDCCLXX.

METHO-

METHODVS ISAGOGICA

AD CHRONOLOGIAM SACRAM.

Temporis Ecclesiastici initium, et Duratio.

Praemitti quaestio solet de Mundi atque adeo Ecclesiae tempore natali. Ad quem nempe anni cardinem, seu solstitialem, seu aequinoctialem, istud probabilius referatur? seu in qua Zodiaci parte sol, in principio rerum, a Deo constitutus fuerit?

Ad solstitium, quod nobis *brumale* est, retulit certe haecenus nemo.

Ad *aestiuum*, sole condito primum vel in Cancro, vel in Leone, retulit, post Astrologos quosdam veteres, Ger. Mercator in *Methodo demonst. temp. Cap. I* Sed ratione vsus, ex ramo frondescentis oliuae, Gen. VIII. 11, perquam infirma.

Mercatoris opinionem, utpote caeteris longe probabiliorem suam fecit DES VIGNOLES, Chronol. de l'hist. sainte.

Ad *aequinoctium vernum*, ut sol primum conditus fuerit in Arietis signo, quod tum ingressus sit Aprili mense, retulerunt sane plerique Mundi et Ecclesiae natalem. Vnde nec paucae gentes a verno aequinoctio annum exorsae sunt, et in hunc vsque diem Arabes, Syri, Persae, Indi etc. Atque haec videtur auctoritate sententia potior, Astrologorum, Poëtarum, Historicorum, Chronologorum; sic Patrum fere omnium, ac Synodorum veterum, dum respexere ad tempus Dominicae Incarnationis, Passionis, Resurrectionis.

Pro *autumnali Aequinoctio*, ut sol conditus fuerit in principio Librae, coeperintque cum initio Autumni nostri, seu cum Tekupha Tisri, Octobri tum mense, incunabula mundi, cum rationes variae, tum auctoritates militant. Ad *illas* faciunt, ex. gr. alimentum iam creato homini praeparatum; principium anni ciuili Hebraeorum, a nouilunio scil. quod Aequinoctio autumnali proximum est; initium idem annis sabbathicis et Iubilaeis; squalor rerum omnium, ex intensissimo aestu, in illis Babyloniae partibus, vel climate conditi Adami, ab Aequinoctio verno ad autumnale; et quae aliae apud Chronologos. Minus stringunt rationes, v. gr. de perfecta maturaque arborum ac frugum conditione, quoniam et perfecta creatio recens creati hominis; aut de immisso terrae dilunio mense *secundo*, qui nempe autumnalis fuerit, quoniam pluuialis nobis Autumnus est; nec enim plagarum

garum omnium eadem ratio est, quae omnes aquis diluuianis submerfae.

Ad *auctoritates* refer consensum 1. Aegyptiorum, Asia-
ticorum complurium, atque Orientalium veterum, annum
ciuilem ab autumnali Aequinoctio inchoantium. 2. Hebrae-
orum tum veterum, tum recentiorum, vt ex Iosepho, An-
tiq. L. I, Paraphraste Chaldaeo, Thalmudistis, Cabbalisticis,
hodiernaque Iudaeorum praxi liquet, suum inde in Synago-
gis annum, suam Epocham, suasque Tekuphas in anno ciui-
li, ac lectionem sabbathanam, ordientium. Quod referri
debere ad institutum Maoretharum, et ad conformitatem
cum indictionibus romanis subintroducram, precario asseri-
tur. 3. In veteribus, Iulii Firmici, Astronomi clarissimi
Constantino M. imperante, statuentis, ex traditione antiqua,
mundum in Libra conditum. Quomodo *Orientalis omnes* inde
annum computasse tradidit sicuti Hieronymus. 4. Pluri-
morum certe in Theologorum et Chronologorum choro, ac
ipsius Iosephi Scaligeri, retractata sententia priore quam am-
plexus fuerat, prima editione Operis *de Emendat. Tempo. uni.*

Duratio temporis omnis, inde ab Ecclesiae incunabilis,
est vel *falso* vel *verius* asserita. Prior rursus vel a *Paganis*,
vel a *Christianis*, vtrisque sapientibus extra verbum reuela-
tum. In iis sunt.

I. Philosophi, *aeternitatis* mundi assertores, Ocellus Lu-
canus, Aristoteles, Plinius, Proclus, Averroës, Simplicius etc.

II. Gentes integrae, inani ac fabulosa ostentatione an-
tiquitatis. Ita tamen vt *periodi* astrologicae verius fuerint,
vt Chaldaeorum, Aegyptiorum illae, quam *Historicae*, qui-
bus suas de Diis et Heroibus fabulas intermixtas esse volu-
runt. Huc faciunt fabulosae Berosi et Manethonis Dynastiae,
fabulosi Sinenisium et Indorum hodieque calculi.

III. Assertores durationis mundi non infinitae quidem,
sed tamen *indefinitae*; in quibus (post veteres, Ptolemaeum,
Censorinum, Iulium Firmicum Maternum, alios) caput ex-
feruit fabulosus Prae-Adamita. Adde, qui liberius quam
par est de primis originibus philosophantur.

Vera igitur *duratio* est, quae Mosis sacrorumque Codi-
cum auctoritate subnixa est, varie rursus putatur, vel se-
cundum Codicem *Samaritanum*, deficientem in annis ante Di-
luuium, excedentem in annis *τεκνογονίας* Patriarchar. a Diluuiio.

Vel secundum *Graecos* Interpretes, vulgo *τὸς LXX.* ex-
cedentes quoad tempus antediluuium annis 600. quoad post
diluuianum annis 880.

Vel secundum *Hebraicos* fontes, quibus et consentit La-
tinus Interpres.

Tabula

Gen.	postquam liberos reare coepissent.		Summa annorum vitae.		
	Samar.	LXX.	Hebr.	Samar.	LXX.
Adam ge	800	700	930	930	930
Seth gen	847	707	912	912	912
Enoch g	815	715	905	905	905
Cainan g	840	740	910	910	910
Mahalale	830	730	895	895	895
Jared gen	785	800	962	847	962
Enoch ge	300	200	365	365	365
Methusal	653	802	969	720	989 al. 969
Lamech g	600	565	777	653	753
Noach ge					
Hinc abst fuit nat	350	350	950	950	950

Summa an
luuium.

Tabula

Tabula discrepantiae in annis genealogicis

ante Diluuium.

Gen. V, 3 feqq. et VII, 11.	Hebr.	Samar.	LXX pro diuerfa lectione.	Iosephus.	Anni postquam liberos procreare coepissent.			Summa annorum vitae.		
					Hebr.	Samar.	LXX.	Hebr.	Samar.	LXX.
Adam genuit Seth, anno aetatis.	130	130]	230	230	800	800	700	930	930	930
Seth genuit Enoch, an. aet.	105	105	205	205, Verf. Epiph. 105	807	807	707	912	912	912
Enoch genuit Cainan, an. aet.	90	90	190	190 ead. 90	815	815	715	905	905	905
Cainan genuit Mahalaleel, an. aet.	70	70	170	170 ead. 70	840	840	740	910	910	910
Mahalaleel genuit Jared, an. aet.	65	65 Scalig. et Aulogr. Samar. 75	165	165, al. 162, al. 160	830	830	730	895	895	895
Jared genuit Enoch, an. aet.	162	62	162	162	800	785	800	962	847	962
Enoch genuit Methufalah, an. aet.	65	60, al. 65	165	165	300	300	200	365	365	365
Methufalah genuit Lamech, an. aet.	187	67, Scalig. 77	165, Euseb. Hieron. Syn-cell. Alii Codd. 167. Sed t. od. Alex. Africanus, Chronic. Alex. 187. probante Lud. Cappello, If. Vossio, E. Bernardo.	187	782	653	802	969	720	989 al. 969
Lamech genuit Noah, an. aet.	182	53	188. Alii legunt cum Hebr. et Iosepho; et sic If. Vossius, E. Bernardus.	182	595	600	565	777	653	753
Noah genuit demum, an. aet.	500	500	500	500						
Hinc ad Diluuium quando Noach fuit natus annos 600, adde	100	100	100	100	350	350	350	950	950	950
Summa annor. ab O. C. ad Diluuium.	1656.	1302 al. 1307, al. 1327.	2240. secundum Eusebium 2242. secundum Cod. Alex. et Iul. Afric. 2262.	2256						



Tabula discrepantiae in annis genealogicis
a Diluio ad natum Abrahamum.

Gen. XI, 10 seqq. v. 26. XII, 4.	Anni postquam liberos procreare coepissent.			Summa annorum vitae.						
	Hebr.	Samar.	LXX.	Hebr.	Samar.	LXX.				
Sem genuit Arphachfad anno post Diluuium.	2	2	2	500	500	500	600	600	600	
Arphachfad genuit Cainan an. aet. (Cainan.)			135. Cainanem non habuere Codd. quibus vti Theophilus Antioch. Africanus, Origenes, Euseb. quos secuti Zonaras, Glycas etc. Ar habuit Chron. Alex. Syn-cell, Nicephor. etc. quos sequitur If. Vossius.	2 alii legunt 12 Cainanem inferit Vossius contendens expunctum esse ex Iosepho, contra fil. dem omnium Codd. et Berofi ipsius, Eupolemi etc.			430		565	
genuit Salah.	35	130, al. 136	130	403	303	330	438	433. al. 458		
Salah genuit Heber, an. aet.	30	130	130	403	303	330	433	433	460	
Heber genuit Phaleg, an. vet.	34	134	134	430	270	270	464	404	404	
Phaleg genuit Rehu, an. aet.	30	130	130. in Bibl. reg. Plant, 134.	209	109	209	239	239	339	
Rehu genuit Serug, an. aet.	32	132	132	207	107	207	239	239	339	
Serug genuit Nahor, an. aet.	30	130	130	200	100	200	230	230	330	
Nahor genuit Tharah, an. aet.	29	79	179 Edit. Compl. Plant. et Romana, Sixt. secundum Africanum vero et Eusebium 79	120 } pater numeros in Iosepho al. 129 } esse corruptos.	119	69	125	148	148	304 al. 204
Tharah genuit Abram, Nahor et Haran, an. aet.	70	70	70	135	75	135	205	145	205	
Summa annor. a Diluio ad 70 Therachj,	292	937 al. 942.	1172 Edit. Plant. et Sixt. secundum al. edit, 1072.	978 al. 983, al. 993. Secundum Vossium 1062 Scribit tamen Ioseph, Antiq. L. I. c. 6. Abramatum a. 292, post diluuium, quod cum singulis Iosephi rationibus non conuenit.						

alogenicis

m.

Anni postquam liberos procreare coepissent.			Summa annorum vitae.		
Hebr.	Samar.	LXX.	Hebr.	Samar.	LXX.
500	500	500	600	600	600
		430			565
		330			460
403	303		438	433. al. 458	
403	303	330	433	433	460
430	270	270	464	404	404
209	109	209	239	239	339
207	107	207	239	239	339
200	100	200	230	230	330
119	69	125	148	148	304 al. 204
135	75	135	205	145	205

Se.
1062
eph.
Abr.
dilu-
gulis
non

Qui

Qui porro sequuntur Hebraeos Codices, hi in supputandis annis ab Orbe Cond. ad Nat. Ch. vix ultra *centum* annorum intervallum (Iudaeos si excipias) a se invicem discriminantur, IV. fere millibus annorum, omne id spatium definientes.

Cuius quidem discrepantiae inter eos, qui hebraico caetera textui adhaerent, causae potissimae hae sunt.

1. Dubius annus *natiuitatis Abrahami*, aliis referentibus ad an. Tharae patris LXX, aliis ad an. CXXX.
2. Dubii anni *habitationis in Aegypto*, quos Genebrardus censet fuisse CCCCXXX, Gerh. Vossius alique an. CCCC, plerique omnes CCX vel CCXV ad summum.
3. Dubii anni *Iudicum*.
4. Dubii anni *Regum* ad vltimum Zedekiae, in quibus scrupuli bene multi, tum ex collatione annorum regum Israelis et Iudae, tum ex diuersa annos supputandi ratione.
5. Dubii termini, a quo, et ad quem, annorum LXX *captiuitatis Babylonicae*, cuius diuersi fuere gradus, hinc diuersum initium et finis, pro dissensu Interpretum et Chronologorum.
6. Dubia de LXX *septimanis* Danielis.
7. Dubia de duratione *Monarchiae Persicae*, vehementer contrahentibus aliis, ad annos 130, vel etiam ad annos 70, aliis extendentibus ad annos 250; vtrisque in Regum numero, ordine, nominibus, annis, abeuntibus in diuersissima.
8. Dubia de duratione *Imperii Macedonici* seu *Monarchiae Graecorum*, deque postrema ad Christum natum periodo, ex variis hanc supputandi normis atque principiis, puta annis Olympiadum, Urbis Conditae, Alexandri, Ptolemaeorum, Seleucidarum, Pontificum iudaeorum, Monarchiae Romanae, seu Caesarum *Iulii* et *Augusti*.
9. Dubia de anno praecise aestimando *natiuitatis Christi*, comparato eo seu collato cum diebus annis, cumque illis Herodis M. et Octauii Aug.
10. Vt varias annorum ciuilium formas, principia, ac inter se connexiones taceam.

Distributio Historica.

Distributio omnis temporis, non iam *Pagana*, non *Judaica* vel *Eliana*, sed *Christiana*, generalissima quidem est.

1. In tempus *prius*, seu quod fluxit ab Orbe Cond. ad Nat. Chr. vulgo *Veteris Testam.*

2. In tempus *posterius*, inde a Nato Chr. vulgo *Noui Test.*

Distributio Temporis Veteris.

Tempus *Vet. Test.* varie a variis subdivisum fuit, in certas seu Aetates, seu Epochas, seu Internalla; quorum alii *duo*, alii *tria*, alii *quinque*, alii *sex*, alii *septem* statuerunt.

Nobis facilioris traditionis ergo distribuitur in *Epochas* insigniores *novem*.

Prima est, ab Adamo condito, ad Diluuium Noachicum, ex fide Hebraicorum Codicum, annorum 1656. Qui Graecos sequuntur, numerant quandoque annos 2256, alii plures nempe 2262, alii pauciores 2242. *Samarit. Cod. secuti alii* 1302, *alii* 1307, *alii* 1327 *annos numerant.* De cuius discrepantiae ratione adi Tabulam superiorem.

Secunda, hinc ad Peregrinationem Abrahami, seu ad egressum eius ex Charane, *Gen. XII. 4.* i. e. ad an. Abrahami LXXV. Haec iterum iuxta alios, Scaligerum, Caluissium etc, qui cum Iosepho Abraham natum volunt anno Tharae LXX, est annorum 367. Iuxta alios vero, qui natum censent Abrahamum anno Tharae CXXX, fuerit Epocha annorum 427.

Tertia, hinc ad Exitum ex Aegypto, annorum 430. ex loco *Exod. XII. 40.*

Quarta, hinc ad finem Iudicium, seu ad initium Samuelis (cuius anni combinantur cum illis Saulis *Aetor. XIII. 20. 21.*) annorum circiter 396.

Quinta, hinc ad Fundatum Templum Salomonis, anno eiusdem *quarto*; vel ad Divisionem Regni, seu defectionem

tionem X. Tribuum, anno Rehoboamī r. Prior periodus annorum 84. posterior annorum 120. 1 Reg. XI. 42. coll. c. VI. r.

Sexta, hinc ad initium Captiuitatis Babylonicae, seu relatum ad annum IV. Iehoiakimi Regis, seu ad I. Iechoniae, seu ad XI. Zedekiae, et excidium Urbis; Vnde varia huius interualli supputatio est: Augentibus dissensum Chronologorum, cum loco *Ezech. IV. 9.* tum dissonantis in speciem in Historia Sacra, circa annos Regum Iudae et Israēlis. Ad summum haec Epochā non excedit annos 400.

Septima, hinc ad finem Captiuitatis, *Dan. IX. 2.* annorum LXX. quales in Ieremia, Daniele, Chronicorum libris definiti.

Quaquam de horum annorum termino varie rursus Chronologi sentiant.

Octaua, a soluta Captiuitate, seu a iactis primo Templi fundamentis, ad Principatum Hasmonaeorum seu Maccabaeorum: vel ad Mattathiae praefecturam ap. Ioseph. L. XII. c. 8. Haec describit spatium circiter annor. 372. Si nempe Monarchiae Persicae iuxta Canon. Nabonass. tribuantur anni 208. Hinc vero anni 19 ad primum annum Graecorum vel Seleucidarum, XII annis a morte Alexandri, quae alias Aera Contractuum. Hinc 145 completi ad Mattathiae praefecturam, quae anni vnus, triennio toto ante Epiphaniis excessum, qui incidit in annum 149 eiusd. Epochae 1 Macc. VI. 16. et ex Iosepho Antiq. L. XII.

Nona denique, a dicto Principatu Maccabaico ad Aeram Christianam vulgarem, siue Dionysianam: quod intervallum secundum Iosephum, et Chronologos plerisque, fuerit annorum circiter 163.

Nempe haec interualla singula Chronologicis difficultatibus, tum ex Textu Sacro, tum ex Historia exotica natis, implicantur.

Distributio Temporis Noui Test.

Tempus *Noui Testam.* inde ab Aera vulgari, *Historicum* iam non *Propheticum*, distribui varie potest, pro statu vel *Politico*, vel *Ecclesiastico*.

Et status *Politicus* quidem *tria* habet insigniora interualla, pro statu Imperii Romani.

Status *Ecclesiasticus* vero *sex* maiora, quorum.

Primum a Nato Ch. ad Concilii Nicaeni indictionem sub Constantino Magno anno Aerae vulgatae 325. Ni malis ad Conuersionem Constantini Magni anno 312.

Secundum, hinc ad Concilium Chalcedonense, Oecumenicum IV. sub Martino Imperatore, anno Vulg. 451.

Tertium, hinc ad Bonifacium III. Papam vniuersalem I. sub Phoca, anno 606. vel etiam ad Aeram Muhammedicam mox secutam, anno 622.

Quartum, hinc ad Gregorium VII. cognomento Hildebrandum, in Papam euectum. anno 1073.

Quintum, hinc ad inchoatam Reformationem, anno 1517. Vel ad Concilium vsque Tridentinum, promulgantem tandem Bullam Indictionis Paulo III. anno 1542.

Sextum, hinc ad nostra tempora.

Commodissima tamen, si texenda sit rerum Christianarum Historia, dispositio est earundem, secundum *singula Saecula*, quorum iam labitur *septimundecimum*.

Sed et aliae *temporis* distributiones pertinent ad Chronologiae Sacrae Isagogen quandam.

Distributio Astronomica.

Prima est, diuisio in *Annos*, *Tekuphas*, *Menses*, *Septimanas*, *Dies*, *Horas*, ne addamus *scrupula* et *momenta*.

Anni.

Anni communissime distribuuntur in *Astronomicos* seu *Naturales*, et *Politicos* seu *Ciuiles*.

Naturales rursum vel *Solares* sunt vel *Lunares*; quanquam et *anni* quoque dicuntur Astronomis Circuitus reliquorum Planetarum, et Revolutiones maiores.

Solaris annus iterum vel *Naturalis* est, seu *Tropicus*, *Vertens*, *Ἡμερινός* Graecis, Hebraeis *annus dierum*, a Iulio Caesare *Iulianus* dictus.

Est

Est is dierum 365. horarum VI. demptis aliquot scrupulis. Horas illas VI. neglexerunt Aegyptii, singulis *quadrienniis* deficientes vno die, hinc annis 1460. deficientis vno anno, quae ipsis magna *reuolutio Zodiaci*.

Vel est *Sidereus* seu *Astricus*, Tropico maior, sed Antiquis vix a priori distinctus.

Lunaris annus, quandoque est spatium *mensis vnius*, communiter *duodecim lunationum*.

Estque hic vel *Communis*, vel *Embolismalis* seu *Intercalaris*.

Intercalationis ratio alia *Romanorum* veterum, alia *Graecorum*, alia *Hebraeorum* intercalantium suo tempore mensum vnum, dictum *אדר* alterum *Adar*.

Annorum Politicorum vel Ciuilium non vna ratio fuit, pro diuersitate Populorum.

Et *Hebraeorum* quidem annus Ciuilis duplex fuit, alius *ante Exitum* ex Aegypto, et Politiam Mosajcam, alius *post Exitum*. Iste vulgo Solaris habitus, hic vero Lunaris.

Lunarem certe Hebraei obseruarunt inde, a Mose, vsque ad tempora Aerae Alexandrinae, seu ingi Macedonici. Quo tempore sacra omnia Iudaeorum ad motum Lunarem instituta.

Principium vero seu caput Anni Hebraici, inde a Legge lata, duplex fuit, aliud *Ciuile* seu Politicum, aliud *Sacrum* seu Ecclesiasticum. Quae et profanae Gentes distinxerunt.

Principium Anni Sacri fuit mensis *Nisan*, hoc respectu mensis primus, a Mose constitutus.

Principium Anni Ciuilis fuit mensis *Tisri*, primus extra rationem Festorum, sed in hac septimus.

Gentium reliquarum Ciuiles anni varia habere et discrepantia initia, varias et successiuas mutationes, intercalandi rationem diuersam, et mensuram quoque, pro motu Solis aut Lunae, illi rursus aut aequabiles dierum 360. aut cum additis Epactis V.

Tekuphae.

Tekuphab aliud primo Hebraeis sonuit, aliud deinceps, quum sic nuncuparunt quatuor *anni Iuliani quadrantes*, duo Solstitia; et duo Aequinoctia.

Menses.

Menses iterum, vt anni, alii *Astronomici* seu *Naturales*, alii *Politici* seu *Ciuiles*.

Illi pariter vel *Solares*, vel *Lunares*, vt eorum ratio vel ad Solis vel ad Lunae motum exigitur.

Lunares denuo vel *Periodici* dicuntur, dierum XXVII. horarum fere VIII. vel Synodici, a Nouilunio ad Nouilunium dierum XXIX. horarum fere XIII.

Ciuilium mensium varians quoque ratio fuit. Et *Hebraeorum* quidem menses, quos hic modo respicimus, inde ab Exitu fuere *Lunares*; alii iterum *Cauis*, alii *Pleni*.

Cauis dierum XXIX. Pleni dierum XXX. vt cum mensibus Lunaribus Astronomicis conciliarentur.

Fuere et menses *Intercalares*, praeter ordinem additi mensibus duodecim, vt supra. Quamquam dubium Hebraeae mensis XIII. intercalarint, stante primo Templo, i *Reg. IV. 7.* i *Chron. XXVII. 15.*

De mensium autem diuersa apud Hebraeos *appellatione*, ante et post Captiuitatem, obuia res est.

Septimanae.

Septimanarum vsus vt apud Aegyptios, et Orientales antiquissimus, apud Hebraeos inclytus, sic obscurus magis apud Gentes reliquas, et Romano in Calendario recentior; Accommodatissimus autem et Creationis historiae, et Sabbathicae institutioni, et Solis Lunaeque rationibus, vnde Cycli illius origo.

Septimanae autem aliae apud Hebraeos *dierum*, aliae *annorum*, *Dan. IX. 24.* hinc *diariae* et *annales* appellatae.

Dies singuli in cyclo *septenario* ab Aegyptiis primo, et ex Astrologica disciplina, nomen a Planetis fortiti sunt, qui Hebraeis *primus*, *secundus*, *tertius*, etc. Christianis *feriae* totidem dicti.

Dies.

Dies.

Dies similiter sunt alii vulgo *Naturales*, alii *Ciuiles* seu *Artificiales*.

Quanquam confundantur saepe nomina, et Naturales dies saepe Ciuiles ab aliis nuncupentur, et vicissim, pro vario respectu.

Naturalis diei, seu *ἡ νύκθήμερος*, initium Hebraeis a *vespera* fuit, aliis a *media nocte*, aliis a *solis ortu*, aliis a *meridie*.

Eiusdem diei communis fuit apud Hebraeos distributio in partes *quatuor*.

Artificialem modo in horas XII. modo in *tria* diei tempora, *Psalms* LV. 18. (vt Graeci in tempus *concionis*, *prandii*, et *houisoluui*) tandem in *quatuor quadrantes*, tribuerunt.

Quadrantes singulos *horas* nuncuparunt, *primam*, *secundam*, *tertiam*, *ultimam*, vel *vndecimam*, alias *vesperam*. Vnde ἐναντιοφωνῆ Euangelica conciliantur.

Vesperae pariter Hebraeis *duae*, altera *declinationis* Solis, altera *occafus*, vnde illud *inter duas vesperas*, *Exod.* XII. 6.

Noctis quoque *Vigiliae quatuor*, *Matthaeus* XIV. 25. passim in sacris distinctae, ὄψε̄, μεσονύκτιον, ἀλεκτροφοφωλία, πρῶτ̄.

Horae.

Horarum apud Graecos vetustiores, hodierno sensu, et apud priores Latinorum, obscura vestigia, negante tamen de illis *Allatio*, de *Mens. Temp.* Cap. IV.

Indubia autem diei in *Horas XII.* distributio apud *Hebraeos*, *Iohan.* XI. 9. *Actor.* II. 15. ne dicamus *Babylonios*, et *Aegyptios*.

Quanquam dubium *horaene* fuerint כעלות̄ seu *gradus*, in solaris Achazi, *Esai.* XXXVIII. 8. 2 *Reg.* XX. 9. an pars media horae?

Aliud vero est horarum genus quae dictae *Canonicae*, quarum ab Hebraeis origo est

Tres

Tres Hebraeis quondam, *Pf. LV. 18. Dan. VI. 11.* quarta etiam deinceps, et quinta apud Muhammedanos accessit; apud Pontificios hodieque aliae diurnae, nocturnae aliae.

Horarum porro apud Paschaliū Computorum conditores, ad obseruanda praecise Nouilunia, subdiuiso est in *Atomos, Particular, Momenta, Minuta, Puncta, Scrupula.*

Distributio secundum tempora Festalia.

Festa vt Aegyptiis frequentia, sic deinceps Hebraeis quibus alii *Dies festi, Anni alii.*

Festi dies rursū vel a *Deo ipso*, vel a *Iudaeis* etiam instituti.

Festis diebus alia *communis*, alia *specialia* singulis.

Alii rursū *hepdomadales*, Sabbathum, alii *mensuri*, Nouilunium, alii vero *annui*.

Sabbathi, quod cum Regina Hebraei conferunt, Festa reliqua cum Concubinis, variae fuere *praerogatiuae*.

Sed et dubia varia sunt, eademque historica, de institutionis *tempore*, de *obiecto*, de quietis *ratione*, deque instituti vel *perpetuitate*, vel *abrogatione*.

Neomeniarum diuersi fines, sacrificia etiam specialia. *Num. XXVIII. 11.*

Annua Festa fuere *Clangoris tubarum, Paschatis, Azymorum, Pentecostes, Expiationum, Tabernaculorum, Conuocationis.*

Alia autem *maiora*, vt tria solemniora tempora, *Exod. XXXIV. 23. Deut. XVI. 16.* alia *minora*. Solemniora illa 1. In memoriam trium excellentium *beneficiorum*. 2. Ob tria *agriculturae* tempora. 3. Ob excellentiam *typi*.

In singulis distincte obseruanda, *Tempus, Ceremoniae, Rationes institutionis*, caeque *Historicae, Ciuiles, Morales*, cum primis vero *Typicae, Mysticaeque*.

Quantum ad Festa ordinaria a Iudaeis instituta, celebriora sunt:

Festum

Festum *Purim* seu *Sortium*, institutum *Esth.* IX. 20.
21. Mardochoae auctore.

Festum *Encaeniorum* seu *Dedicationum*, alias *Luminum*. 1 *Maccab.* IV. 56. auctore Iuda Maccabaeo.

Ieiunia *quarti*, *quinti*, *septimi*, et *decimi* mensis, de quibus *Zach.* VIII. 19.

Festum *caesi Nicanoris* a Iuda Maccabaeo 1 *Maccab.* VII. 49.

Festum *Ignis*, inuenti scilicet ignis sacri. 2 *Maccab.* I. 8. 19. 20.

Mittuntur aliae solemnitates Iudaeorum, non iugiter obseruatae, et recentiores quaedam.

Translatio Festorum.

Festis accessit *Translatio*, scil. a die Lege praescripto in alium diem, eademque vel *Lunaris* seu *Astronomica*, vel *Ciuilis* seu *Politica*.

Prior facta in Neomeniis, ob seram apparitionem nouae Lunae; *Posterior*, ob Sabbathum proxime sequens, ne duo Sabbathi concurrerent. De quarum Translationum ratione Scaliger, Munsterus, Hospinianus, Godwin, etc.

Vnde conciliandi S. Euangelistae, in historia vltimi *Paschatis* a Christo celebrati, quando dixit Iohannes, Christum comedisse Pascha *πρὸ τῆς ἑορτῆς*, *Ioh.* XIX. 14. antequam suum Iudaei comedissent *Ioh.* XVIII. 28. Euangelistae reliqui celebrasse Christum *prima Azymorum*, quum esset Pascha; tempore scil. Lege Mosis definito, non habita ratione *Translationis* Iudaicae.

Anni Sabbathici.

Sed et festos *Annos* Hebraei habuere, annum quemque vel *septimum*, vel *septies septimum*.

Septimus quisque dictus *Sabbathicus*, alias annus *Remissionis*, vel *Intermissionis*, inchoatus mense Tisri.

Huius obseruantur Priuilegia quinque: *Sabbatum terrae*; *Remissio debitorum* ex mutuo aut vendita; *Manumissio seruorum* Hebraeorum; *LECTIO legis* coram toto populo, *Abundantia rerum omnium*.

Singulorum rationes fuere *ciuiles*, *morales*, *myſticae*, ſuo loco explicandae.

Horum annorum *primus*, fuit annus diuifionis terrae. *Iof. XIV.* Septimus a ceſſatione Mannae, *Iof. V. 12.* *ultimus* de iure exſpirauit ipſo anno Dominicae Paſſionis.

Et certi hi ſunt Chronologiſ *characteres*, in putandis temporibus, de ſeptennio in ſeptennium, ſtato initio ſingulorum.

Anni Iubilaei.

Quinquageſimus quiſque annus dictus *Iubilaeus*, alias annus *Reſtitutionis*, ſiue *Reductionis*, vnde forte Hebraicum nomen ab *הרביל* *reducere*.

Initium eius *decimo* die menſis *Tiſri*, ipſo die Expiationum, *Leu. XXV. 8.* anno quoque *ſepties ſeptimo*, ſeu *quadrageſimo nono*, vt annus quinquageſimus inchoaret nouum Iubilaeum.

Vnde illorum error, qui interuallum a Iubilaeo in nouum Iubilaeum, *excluſiue*, definiunt annis ſolidis L. Rationes erroris multae et inuictae.

Præuilegia anni Iubilaei, alia *communia* cum anno Sabbathico, alia *propria*.

Propria fuere *Manumiffio* ſeruorum omnium qui *deſtenti* anno Sabbathico; *Reditus* auitarum poſſeſſionum; *Clangor* tubarum vel cornuum, ſeu *Iubilatio* per totum Iſraëlem, vnde et verofimilius nomen illi anno, a *הרביל* *cornu*.

Rationes horum omnium aliae *hiſtoricae* et *politicae*, aliae *morales*, aliae *typicae*, apertiffimo reſpectu ad liberationem per Chriſtum, totidemque huius beneficia, etiam *anagogicae* ad æternum in Coelis Iubilaeum, ſuaui vtriuſque collatione.

Characteres alii temporum.

Sunt vero et alii Temporum Characteres, quorum intelligentia pernecesſaria tyronibus Chronologiae et Hiſtoriae Sacrae. Huc faciunt anni *Iuliani*, *Biſſextiles*, *Lustra*, *Indictiones*, *Cycli*, *Periodi*, *Aerae* ſeu *Epochae* inſigniores variae.

An-

Annus Iulianus.

Annus *Iulianus* dicitur Solaris seu Tropicus, dierum 365. horarum VI. incipiens a Kal. Ianuar.

Nominis ratio, et fixi in mediam brumam *capitis*, tyronibus constent. Constent et *causae* correcti a Iulio Caesare Calendarii, foede antea primorum Pontificum vitio corrupti.

Anni hi vel *communes* sunt, vel *intercalares*. Hi redeunt anno quouis quarto, dierum 366. alias *Bissextilis* a die intercalationis.

Methodus inueniendi Bissextilem facilis, si obseruetur I. annum a Ch. nato, fuisse quoque I. a Bissextili. Hinc dati anni a Chr. nato diuidendi sunt per IV. si nihil remanserit est Bissextilis.

Eius Reformatio.

Calendario Iuliano accidit Reformatio per Gregorium XIII. anno 1582. vnde annus *Gregorianus*, et *Stylus nouus*.

Causa reformandi, quoniam spatio 400. annor. annus Iulianus *tribus diebus* excedit motum solarem; quod inde a constituto anno Iuliano inconsideratum manserat.

Modus reformationis obuius, restituto Aequinoctio (praeter restitutos Terminos Paschales) in XXI. Martii, qualiter erat tempore Concilii Nicaeni I. fixoque isto in perpetuum ad eum diem. Hinc ex IV. annorum Centuriis demetur in posterum in fine trium priorum dies vnus, non intercalandus.

Lustrum.

Lustrum, in Ecclesiasticis scriptis obuium, vel *Romanum* est, vel *Iulianum*.

Illud *quinquennii* (seu a *lustrando*, seu a *luendo*) hoc *quadriennii* *ὀσσημια*, anno quarto existente Bissextili.

Indictiones.

Indictio est *ὀσσημια* trium lustrorum, seu spatium annorum XV. in orbem rediens.

Alia autem *Caesarea* vel *Constantiniana*, incipiens d. XXIV. Sept. anno Aerae vulg. CCCXII.

Alia *Constantinopolitana* vel *Graeca*, incipiens a Kal. Sept. inde a Iustiniano Imp.

B

Alia

Alia *Pontificia*, vel *Romana*; incipiens a Kal. Ianuarii sequentis, et principio anni Iuliani.

Hic vero et *numerandi* Indictiones, et *inueniendi* ratio obseruanda.

Cyclus Solis.

Cyclus est reuolutio periodica certorum annorum Iulianorum.

Estque alius *Solaris*, spatium XXVIII. annorum, *Lunaris* alius, spatium annorum XIX.

Solaris dicitur, quod eius beneficio intelligatur quotannis litera *diei Solis*, seu *Dominicae*, et eo exacto redeant in orbem istae literae.

Huc spectatigitur Liter. Dominicalium *ratio, variatio, usus* in Calendario.

Et *modus* inueniendi Cyclum Solis, atque etiam *usus* in Chronologia.

Natus autem vulgo censetur *Christus* Cyclo Solis exeunte IX, et exeunte Biffextili, Lit. Dom. illo anno D.C.

T A B V L A.

Cycli Solaris.

Cyclus Lit. Dom.	1 G	2 E	3 D	4 C	5 B	6 G	7 F	8 E
	F				A			
Cyclus Lit. Dom.	9 D	10 B	11 A	12 G	13 F	14 D	15 C	16 B
	C				E			
Cyclus Lit. Dom.	17 A	18 F	19 E	20 D	21 C	22 A	23 G	24 F
	G				B			
Cyclus Lit. Dom.	25 E	26 C	27 B	28 A				
	D							

Cyclus

Cyculus Lunae, et Terminii Paschales.

Lunaris Cyculus dictus est alias *Decemnouennalis*, *annus Metonicus*, *Cyculus Paschalis*, *Aureus Numerus*.

Ratio harum *appellationum*, et constituti huius *Cycli* ex Chronologis constat.

Maxime vero eius beneficio *Termini Paschales* singulorum annorum, olim impliciti, postea plani fuerunt.

Terminus Paschalis dictus, dies *plenilunii* mensis Paschalis, seu XIV. Luna, vnde proxime sequens *Domini- ca Paschalis* fuit.

Aetate Constantini Magni censebatur XIV. Luna Paschalis, quae incideret in XXI. *Martii*, vel proxime aequinoctialem illum diem *sequeretur*.

Sed quae tum Luna incidebat v. gr. in V. Aprilis, hodie anticipat diebus IV. et horis aliquot. Non enim exacte, hoc decemnouennali Cyclo, sed fere ad idem punctum redeunt Nouilunia et Plenilunia

Quod etiam Aequinoctium tum incidit in XXI. *Martii*, iam in XI. cadit.

Vnde *Reformatio Gregoriana*, de qua supra, et discrepantia Styli *Veteris* et *Noui*, ac *Paschatum* in utroque diuersa ratio.

Nam restituit Gregorius vt Aequinoctium, in XXI. *Martii*, sic Terminum Paschalem in *plenilunium*, quod Terminii Veteres (quos hoc in loco attendimus, et retinet Calendarium Vetus) nunc aliquot post diebus excipiunt, ob rationem dictam.

Hi autem *terminii Paschales* beneficio Cycli Lunaris, seu *Numeri Aurei*, quotannis intelliguntur. Nam singulis Numeris Aureis, per annos XIX. seu totum Cyclum, respondent in Tabulis Terminii Paschales distincti.

Redeunt autem in *orbem* cum Cyclo Lunari, ex Calend. Vetere.

Distant singulis annis a se inuicem diebus vel XI. vel XIX. quo spectat discrimen annorum *Communium*, et *Embolisinalium*, et doctrina *Epactarum*.

Epactae, seu dies adiecti anno Lunari sunt numero XI. qui singulis annis Cycli aut per XI. crescunt, aut per XIX. decrescunt, vt in Tabulis videre est.

Subiiciuntur hae Numeris Aureis, per annos singulos Cycli Lunaris.

Inuenietur hic Cyclus, si consliterit Aeram Christianam vulgarem incipere Cyclo Lunae *secundo*.

T A B V L A.

Cycli Lunaris.

A. N. Ep.	1. XI.	2. XXII.	3. III.	4. XIV.	5. XXV.	6. VI.
A. N. Ep.	7. XVII.	8. XXVIII.	9. IX.	10. XX.	11. I.	12. XII.
A. N. Ep.	13. XXIII.	14. IV.	15. XV.	16. XXVI.	17. VII.	18. XVIII.
A. N. Ep.	19. XXIX.					

TERMINI PASCHALES.

Numeris Aureis respondentes, sunt hi:

Numeri Aurei,

1. Aprilis quinta.
2. Martii vigesima quinta.
3. Aprilis decima tertia.
4. Aprilis secunda.
5. Martii vigesima secunda.
6. Aprilis decima.
7. Martii trigesima.
8. Aprilis decima octaua.
9. Aprilis septima.
10. Martii vigesima septima.
11. Aprilis decima quinta.
12. Aprilis quarta.
13. Martii vigesima quarta.
14. Aprilis duodecima.
15. Aprilis prima.
16. Martii vigesima prima.
17. Aprilis nona.
18. Martii vigesima nona.
19. Aprilis decima - septima.

Periodi

Periodi Illustriores.

Sed et *Periodi* variae in scriptis Ecclesiasticis inclutae, v. gr. *Calippica*, *Damascena*, *Judaica*, *Dionysiana*, *Iuliana*, etc.

Periodus *Calippica* conflatur ex quatuor Cyclis decemnouennalibus, systema annorum 76.

Dicitur alias anni *Alexandrini*, et anni *Contractuum*, quorum caput, annus i. imperii Asiatici Alexandri Magni; et primo 28. Iunii, post eius mortem Mensis Aequinoctialis.

Vfus illorum apud *Judaeos*, sub iugo Macedonico, ex Iosepho, et Libris Maccabaeorum.

Periodus *Damascena*, qua vsi Syri et Arabes, constat ex tribus Periodis Calippicis, annorum 228. Caput eius in annum ante Ch. nat. 48. Period. Iul. 4666.

Periodus *Judaica*, est Systema annorum qui fluxerunt inde a Creatione Mundi, secundum Chronolog. Iudaeorum.

Successit periodo Calippicae, circa annum Ch. 369.

Deficit autem in numerandis annis ab *Orbe Cond.* et peccat *μεταχρονισμῶ* annorum vulgo 189. secundum Petauium pluribus.

Periodus *Dionysiana*, est systema annorum 532. alias *cyclus magnus Paschalis*, *Periodus magna*. Dicitur etiam *Συζυγία Cyclorum* Solis et Lunae, quae demum accidit eo annorum intervallo.

Oritur ex ductione 19. quo numero absolvitur Cyclus Lunae, in 28. quibus absolvitur Cyclus Solis.

Ab eodem *Dionysio* illi nomen, a quo nomen Aerae Christianae.

Periodus *Iuliana* dicitur, systema annorum Iulianorum 7980.

Alias tempus *prolepticum*, et *postulativum*, quia anticipat tempus Creationis, totis annis 764.

Oritur ex multiplicatione Periodi Dionysianae per 15. quot sunt anni Indictionis.

Eo demum spatio annorum fieri potest *αὐξωγία* trium Cyclorum, Solis, Lunae, Indiſtionum.

Vſus eius *Scaligeriani* inuenti eſt, vt ſit communis quaedam menſura, ad quam Epochae omnes referri, et inter ſe conferri poſſint.

Periodos alias *Graecorum*, *Arabum*, etc. hoc in loco mittimus, de quibus Scaliger Opere de *Emend. Temp.*

Epochae ſeu Aerae Inſigniores.

Sed et ſine *Epocharum* cognitione haerebit tyro in Chronographia Sacra.

Quid *Epocha* ſit, quid *Aera*, vox altera Graecae, altera Arabicae originis, ſc. notae fixae in Hiſtoriis vnde anni numerantur, pueri norunt.

Inſigniores aliae *Gentilium*, aliae *Iudaeorum*, aliae *Arabum*, aliae *Chriſtianorum*.

Gentilium illae.

In Gentilium Aerae celeberrimae ſunt in Eccleſiaſticis ſcriptis:

Aera *Olympiadum*, vel annorum *Iphiti*, praecedens aeram Chriſtianam vulgarem, annis 776. Secundum hanc digeruntur res Graecorum, nondum tamen apud Herodotum, Thucydid. etc.

Aera *Vrbis Cond.* praecedens Aeram Ch. annis 752. vel 753. prout vel Catoniana eſt vel Varroniana. Secundum hanc res Romanorum digeſtae.

Aera *Nabonaffari*, ſeu *Babyloniorum*, vnde Ptolemaeus et Hiſtorici paſſim ſuas ſupputationes ducunt, praecedens Aeram Ch. annis 747. anno Periodi Iulianae 3967. Huic cum Textu Sacro mire conuenit, vbi Aſſyriorum et Babyloniorum res memorantur.

Huius anni omnes ſunt *aequabiles*, ſine intercalatione, dierum 365. alias anni *Aegyptiaci*.

Hinc quadrienniis ſingulis deſicit annus Nabonaffareus *die uno*, quem Iulianus intercalat.

Excipit hanc Aera *Alexandraea*, ſeu *Ptolemaeorum*, a morte Alexandri Magni, cuius caput in Autumno; Hac

vti coepere Iudaei anno 12. a morte Alexandri, et putat secundum hanc annos Iosephus Historicus.

Iudaeorum.

Iudaeorum Aerae aliae *antiquae*, v. gr. Diluuii, Vocationis Abrahamicae, Exitus ex Aegypto, etc. aliae *posteriores*, quo spectant Periodus *Calippica*, et Periodus *Judaica*, de quibus ante.

Annorum suorum caput figunt in mense *Tisri*; et in annis numerandis, ab Orbe Cond. *millenarium* omittunt. Forma exacte Lunarum est, et accuratior ratione Calippica.

Arabum.

Arabum Aera primitus quidem fuit *Damascena*, seu *Antiochena*, alias *Hagarena*, de qua supra.

Postea pro Aera vii annis *Hegirae*, a fuga et occultatione Muhammedis. Hegirah Arabibus est *διωγμὸς ὑπὲρ τῆς Θεουσίας*.

Caput huius constituunt in annum Aerae *Dionysianae* 622. Aerae *Damascenae* 670. Periodi *Damascenae* 214. Periodi *Iulianae* 5336. die Iulii XVI. feria VI. seu *Veneris*, Luna tum *Corniculata*.

Annorum forma mere Lunarum, vnde quotannis anticipat eorum annus diebus fere XI. neglectis Epactis.

Christianorum.

Christianorum Aerae, quae *Dionysianam* praecesserunt, variae primo fuere, vel cum *Graecis*, vel cum *Romanis*, vel cum *Syris*, annos suos supputantium.

Celebris postea *Aera Martyrum*, seu *Diocletiani*, de qua ad Saecul. III. Et anterior hac multo *Aera Hispanica*, ad quam res suas Ecclesiasticas digesserunt Hispani et Afri veteres.

Incluta et Nouella Iustiniani XLVII. c. I. quae in connotando tempore obseruare iubet annos *Imperii*, *Coss.* eius anni, *Indictionem*, etc.

Tandem, sed ferius, vsurpata Orbe toto Christiano, a temporibus Caroli Magni, Aera *Natalis Christi*, seu

ἐναρκώσεως, ἐνανθρωπήσεως, παρθενότητος, Θεογονίας, Θεοφανείας, etc.

Alias *Dionysiana*, a Dionysio Exiguo, Abbate Romano, qui annos Christi primus numerare docuit, anno (vt ipse supputauit) 532.

Etiam *Vulgaris* distincte ab Aera Christi *vera*, quando Dionysiana illa deficit, omnium fere Latinorum calculo, et peccat μεταχρονισμόν seu *biennii*, seu *triennii*, etc.

Nec obscurae huius erroris *causae*, et dubii anni Naturalis, veri scil. ac praecisi, ipsis Scriptoribus Sacris nonnisi Charactere generali notati. De quo Parens, noster Dubiorum Euangelic. *Part. II. Dub. I.*

Collatio Epocharum.

Huc spectat Epocharum inter sese *collatio*, siue *connexio*, qui scil. anni, singularum Epocharum sibi inuicem, et annis Aerae Christianae, respondeant.

Fit illa per certos Characteres, quibus signantur Epochae singulae, eosque vel *naturales*, vel *ciuiles*.

Naturales petuntur ab Eclipsibus, aetate Lunae, motu et situ Planetarum. Certissimus autem character sunt Eclipses, seu Lunae Solisque defectiones, accurate semper Historicis et Astronomis obseruatae.

Vnde retro supputando ab vna Eclipsi ad aliam, certa habentur temporum interualla, etiam quoad horas, serupula, momenta. De quibus Regulae et Tabulae Astronomorum.

Ciuiles characteres vocantur qui sunt ex instituto, seu diuino seu humano, quales v. gr. Anni Sabbathici, Indictiones, Cycli, Epactae, Bissextiles, Tempora festalia, etc. De quibus nonnihil supra, et ex professo Chronologi.

Communis mensura est *Periodus Iuliana*, seu tempus Prolepticum, ante quoque indicatum.

Finis epitomes Isagogicae ad Chronologiam Sacram.

EPI-



EPITOME
ISAGOGICA,
AD
HISTORIAM ECCLESIASTICAM
VETERIS TESTAMENTI.

Historiae illius necessitas.

Historiae Sacrae *Veteris Testamenti*, seu temporis Ecclesiae prioris, vel hinc *necessitas* intelligitur, quod absque illa foret ut pleraque, quae *tempus historicum* Graecorum antecesserunt, nobis vel *ἀδιδακτα* forent, vel *μυσώδη*. Adhaec ignorarentur ut rerum sic *Ecclesiae* primordia, successio, propagatio, aetates: Nescirentur *origines* Populorum, Fabularum, Idololatriae, etc. Latere *Facta* innumera, et *Oracula* admiranda, Libris Sacris comprehensa: Imponeret *Chaldaeorum* mendaces calculi, *Aegyptiorum* fictae Dynastiae, aut *Serum* prodigiosi Annales: Obscura denique foret *series temporum*, inde a Mundi Natalibus, suis nunc Epochis insignioribus distincta, supra digestis.

Sed praeter hunc usum *Historicum*, et *Chronologicum*, sunt alii plurimi *Doctrinales*, *Elenchtici*, *Politici*, *Practici*, qui per omnes Disciplinas, cum primis vero Sacram, sese diffundunt, et ex quibus Fides roboratur, Pietas accenditur, Atheismus expugnatur, Ciuilis prudentia acquiritur, Iudaei, Muhammedani, Gentiles, Libertini reuincuntur.

Fontes Historiae Vet. Test.

Colligitur 1. Ex *Mose*, quo Gens nulla, non Babyloii, non Phoenices, non Aegyptii, non Seres, antiquiorem produxere Scriptorem.

B 5

2. Ex

2. Ex Scriptorum *Historicorum* et *Propheticorum*, in Sacris voluminibus, serie continua, ad instauratum Templum secundum.

3. Ex Libris *Maccabaeorum*, quorum primus orditur a temporibus Antiochi Epiphanis, Mattathiae Hasmonaei; secundus vero compendium est ex Iasone Cyrenaeo, in rebus Antiochi Epiphanis, et Eupatoris, nonnullis assutis.

4. Ex *Chronicis* antiquis Iudaeorum, subinde ex *Philone* Iudaeo. tum maxime ex *Fl. Iosepho*, in Antiquit. Iudaicarum Libris, et de Bello Iud. De quo Scriptore extant Doctorum iudicia.

5. Ex scriptoribus variis, seu *Iudaeis* et *Thalmudicis*, quos inter fide dignior Maiemonides; seu *Orientalibus*, et *Arabicis*, quos inter Elmacinus, Patricides, Abulpharaius, Chronicon Orientale Ecchellenensis, *avēndoroi* innumeri; seu *Paganis*, memoratis passim Iosepho, Clem. Alexandrino, Tertulliano, Eusebio, Epiphanio, etc. seu denique *Christianis*. Et hi rursus vel *Chronographi*, Eusebius, Africanus, Georgius Monachus, qui insigniores in Veteribus, et quos innumeri in Graecis et Latinis mox exceperet; vel *Commentatores* eximii in Libros Testam. Vet. vel *Scriptores* de Hebraeorum Republica et Politia, aut de Profanarum Gentium Religionibus, aut de primis rerum ac populorum Originibus, etc.

Vniuersam porro ad *novem Epochas* referemus, superius signatas, singulas rursus *summariis* rerum *Capitibus*, facillioris methodi ergo, distinctas.

EPOCHA PRIMA.

AB ORBE CONDITO AD DILVVIVM.

I. Nascentis Ecclesiae Incunabula.

Huc summam spectant.

1. *Primi Ecclesiae Parentes*, et Adamus ut Ecclesiae sic hominum fator, *primus* non *secundum quid* tantum, Iudaeorum, aut Peccati respectu, vel *typice* tantum;

tum, oppositè ad secundum Adamum, vt nugatur Prae-Adamita, sed *vere et proprie*.

Quod ex Historia Creationis, et collatione Capitis I. et II. Genes., ex Diluuiana Historia, ex peccati et mortis prima origine, ex Paulo Apostolo, *Rom. V. 12.* ex sexcentis Scripturae locis, et ex vniuersali consensione, nimis aperte liquet.

II. *Status nascentis Ecclesiae*, de quo potissimum obseruantur.

Protoplastarum in Paradiso collocatio, ex narratione Mosis.

Huius situs, in Orientali tractu, etiam Fluuuii quatuor eidem recensiti.

Praecepta Adamo data. cum ἑγγεφα, tum ἀγγελ-φα *sex* Magistris memorata.

Dominium illi concessum in animantia.

Foedus cum eo initum, mox ruptum et antiquatum.

Arbores Sacramentales, de quibus quaestiones Theologorum.

Historia tentationis, et lapsus.

Promissio Seminis benedicti, et eius in Protoplastis fides.

Sedes Ecclesiae extra Paradisum, seu aquis seu igne deletum.

Cultus publici ratio, et tempus.

Lingua, Literae, Disciplinae, et harum inuentores.

Sacrificiorum institutio, vsus.

Historia Caini et Abelis, fabulis quoque variis obsecrata.

Status Patriarcharum oeconomicus, et coniugalis, vbi de gradibus initio permissis, vel prohibitis, de monogamia instituta, reliquisque huc spectantibus.

II. Primorum Patriarcharum Historia.

In his, qui *decem* ad Noachum inclusum numerantur, eminent prae caeteris :

Ada-

Adamus, de cuius poenitentia, studiis, liberis, morte, sepultura, incerta multa et fabulosa; cum primis illud, sepultum fuisse in eodem colle, in quo Christus crucifixus, tradente et Abulfaraio, in Hist. Dynast. p. 10.

Sethus, natus anno Adami CXXX. de cuius quaeritur tum *columnis*, tum *inuentis* variis, literarum maxime, ex Iosepho, Cedreno, Orientalibus.

Enochus, natus anno Sethi CV. ad cuius tempora referri solet *Idololatriae* origo, ab aliis etiam illa *Monachatus*, verius illa *publici cultus*, Gen. IV. 26.

Henochus, septimus ab Adamo, natus anno Iared patris sui CLXII. conspicuus fide, sanctitate, spiritu Prophetico, translatione miraculosa, missis de hac fabulosis variis. Et sub hoc, secundum Iosephum, Idololatria nata, *Antiq.* 1. I. c. IV.

Matusalah, genitus Enochii anno LXV. omnium maxime longaeuus, non tamen vita ultra Diluuium, ex Graecae Versionis calculo, producta. Et hic de causis tantae *longaeuitatis* disquiri solet.

Noachus, supra omnes illustris iustitiae diuinae ac poenitentiae praeconio, 1 *Petr.* III. 19. 2 *Petr.* II. 5. Arcae stupenda fabrica, mira in Diluio conseruatione, instauratione diuini cultus, pietate, vaticiniis, propagatione noui Orbis. Sed et de Noacho fabulae non paucae Orientalium, deque extremis eius ad Semum verbis, prolixè apud Patricidem in Chronico.

Hinc illius, in secundo Orbe, apud Chaldaeos, Phoenices, Graecos, Latinos, Sinenses, variis sub nominibus, vt *Iani* bifrontis, *Oenotrii*, *Ogygis*, *Deucalionis*, *Saturni*, *Promethei*, *Bacchi*, *Galli*, *Xisubri*, *Vitey* vel *Fau*, etc. celeberrima fama.

III. Cainitarum impietas, ac Corruptio Ecclesiae.

De hac frequenter Scriptura S. tanquam effusa ad omne scelus, Moses, Christus, Paulus, Petrus, Iohannes, Iudas,

Et

Et quamquam *theoreticae* impietatis haud tam Scriptura meminit, quam *practicae*, in actionibus, vita; interim solet utraque esse coniuncta, nec obscure omnis illa primi aevi corruptio haec potissimum ad capita reuocatur.

I. Ad *defectum fidei* in Caino ipso, referente Apostolo, *Hebr. XI. 4.*

II. Ad *fratricidium*, secutae defectionis et impietatis alteram originem; de qua ad Mosem Commentatores.

III. Ad *corruptionem doctrinae*, vnde illud Iudae de Pseudo didascalis, *Iud. II.* et Petri alterum, *2 Petr. II. 5.*
Quo refer

Neglectum promissionis de semine benedicto, in Mose planum:

Peruersum usum sacrificiorum, finemque ab istis intentum,

Abnegatam dein Prouidentiam, Iudicium, Immortalitatem animorum, de quibus Targum Hieros. in *Gen. IV. 7.* alii.

IV. Ad *cultum Idololatricum*, de quo haud obscure Moses, non tam *Gen. IV. 26.* quam mox *Gen. VI. 5.* et seq. et post eum Iosephus, atque Orientales. Nec, quicquid sit de nonnullorum in Patribus et Scholasticis mente, dubitant de *Idololatria* Antediluuiana plerique viri docti.

Dubia tamen magis est *species* Idololatriae, an a Siderum primo, an Heroum, an Daemonum cultu, exordium habuerit? *Βαεβαεισμὸν* vocat hoc Idololatriae interuallum Epiphanius, *Haer. I. 1.*

V. Ad *profligatam vitae impietatem*, adeoque in Politia Tyrannidem, in Coniugio Polygamiam, in Societate libidinem, temulentiam, promiscuam Venerem; vnde *Sethianorum* ad *Cainitas* impia defectio, *Gen. VI. 1.*

Nec fabulis de *Angelorum* cum *filiabus hominum* congressu, de prognatis hinc Gigantibus; aliisque id genus, locus esse debet.

IV. Arcae Fabrica, aliaque antecedanea Diluuii.

Huc summam faciant:

I. *Tempus* poenitentiae concessum, anni scilicet CXX. *Gen. VI. 3.* qui sunt Scaligero *annus magnus* Patriarchicus, quo exacto intercalarint mensē vnum, seu dies 30, ob neglectas quotannis 6 horas.

II. *Noachi* interea monita, praeconium spiritu Christi afflante, *1 Pet. III. 18. 19.*

III. Praeceptum de *Arca fabricanda*, et sufficiens tempus illi fabricae concessum, hinc supicienda Noachi fides, et obedientia.

IV. *Arcae* denique ipsius Hebr. *תבה* Gr. *κιβωτός*, structura vniuersa, de qua prae caeteris notanda veniunt:

Materia ex ligno Gopher, seu *cupressum*, seu aliud intelligas.

Forma, ratione longitudinis, latitudinis, et altitudinis cubitalis, *Gen. VI. 15.* seu *communes* cubitos, seu *sacros* velis.

Capacitas sane immensa, ratione dictae longitudinis, latitudinis, altitudinis; tribus in eadem ingentibus tabulatis, singulis rursus suis mansionibus distinctis, vt in summo locus esset hominibus, et auiibus. De quibus extant dissertationes Buteonis, Temporarii, Wilkinsii, *Peletier Diss. sur l'Arche de Noe. Rouen 1700*, etc.

Commoditates omnes, ad lucem, ad respirationem, ad pabulum, ad prohibitionem aquarum, ventorum, ad ingressum et egressum, etc.

Animalium in eandem, et *septenorum* quidem quoad munda, id est quae esui vel sacrificio apta, successiua primum *introducitio*, miro sane impulsu Conditoris, tum in *Arca dispositio*, tandem quoque *alimentatio* et conseruatio; vbi de animalibus carnivoris difficultas potissima esse videtur, vnde his ad sustentationem cibus?

Ani-

Animae tandem in Arca seruandae, octo videlicet, Noacho cum suis, 1 *Petr.* III. 20. missis hic Berofi, et Sibyllae Erythraeae, et Arabum atque Orientalium fabulis.

Typus denique mirabilis Ecclesiae, Christi, et paucitatis saluandorum, quemadmodum Aquae diluuianae Baptistini figura, 1 *Petr.* III. 20. 21. de quibus Theologi.

EPOCHA SECVNDA.

A

DILVUIO AD VOCATIONEM SEV
PROFECTIONEM ABRAHAMI.

I. Historia Vniuersalis Diluuii.

Hic potissimum obseruantur:

I. *Tempus* immissi in primum Orbem Diluuii; Anus quidem ab eo condito, ex Hebraicorum Codicum fide 1656. Noachi 600. seu inchoatus, seu terminatus; Mensis vero anni *secundus*, dies XVII. adeoque *autumnalis* anni tempestas, qualis est Nouembri nostro.

II. *Causae* tum impulsivae, tum productivae Diluuii, tum morales tum physicae, tum naturales tum supernaturales, de quibus Moses *Cap.* VI. 5. et seq. VII. II. 12. et Commentatores.

III. *Inundatio ipsa terrarum*, quo spectant dies XL. effusorum imbrum, et erumpentium vndeunque e coelo, e terra, e mari aquarum, *Gen.* VII. 17. 19. 20. vt XV. cubitis superarent montium vertices; Tum dies istis additi CX. seu continuatae pluuiae, et inualescentium aquarum, seu vt alii permanentium saltem, *Gen.* VII. 24. Tandem decrementum earundem, successuum illud, clausis fontibus, et prohibitis pluuiis, *Gen.* VIII. 1. etc. post inductam terris vastitatem, et deleta animantia.

IV. *Circumstantiae* reliquae, vt haerentis fundo sito Arcae super aliquo ex Gordyaeis, *Ararat*, seu Armeniae montibus; mox illa detectorum cacuminum; tum corui emissi, emissae et ter columbae; tandem Noachi cum suis
egre-

egredientis, anno solari post ingressum I. et diebus X.
Gen. VIII. 14.

V. *Vniuersalitas* quoque Diluuii, tum ratione Orbis habitati, tum et Globi terrestribus vniuersi; Quae contra recentiores demonstratur:

Ex descriptione ipsa Mosaica, *Gen. VII. 19.* et seq. Ex Petrina confirmatione, *2 Petr. II. 5. III. 6.* Ex sufficientia aquarum superiorum et inferiorum; Ex capacitate Arcae, speciebus animantium recipiendis; Ex causis immissi Diluuii; Ex conseruatione specierum omnium; Ex noua reparatione humani generis per Noachidas; Ex vnanimi Iudaeorum ac Christianorum consensione; Ex Gentilium ipsa traditione; Denique ex hypothesebus vel dubiis vel precariis sententiae negantis.

II. Instauratio Ecclesiae, ac Conseruatio in familia Semi.

Huc spectant, I. Quae proxime sunt Diluuium *consecuta*: Nempe vt *Oëto* animae Arca egressae sint, signantibus locum Arabibus in Armeniae montanis, dictum *Themanin*, τῶν ἐτραῶ; Vt *σωτήρια* Liberatori Deo Noachus persoluerit; Vt diuinis promissis cum Prouidentiae tum Gratiae erectus fuerit; *Gen. IX. 12. 13.* Vt diuinae leges et sanctiones accesserint, *Gen. IX. 3. 4.* vnde septem *praeccepta Noachidarum*, Talmudicis decantata; Vt Noachus spiritu Prophetico tum *Chamitarum* seruitutem, tum *Iaphetianorum* seu Gentilium conuersionem ad *Tentoria Semi* praedixerit, *Gen. IX. 27.* etc. Vbi quaestiones variae v. gr. de cibo Patriarcharum, de septem praecceptis, de Iride, de peccato Chami, de Dispersione Noachidarum, etc.

II. *Conseruatio* Ecclesiae in familia *Semi* *Gen. XI. 26.* quemadmodum *dignitate* hinc recensione primi, *Gen. V. 32. IX. 18. X. 1.* sic *aetate* (secundum Scaligerum, Caluissum, Petauium, item Vulgatum, Syrum, Arabem, Samaritanum) primogeniti, etiam ex loco *Gen. X. 21.* Aliis tamen censentibus medium inter Iaphetum et Chamum, ex loco
Gen.

Gen. XI. 10. collato cum *Gen. V. 32.* hinc constructis aliter verbis *Gen. X. 21.* vt scil. frater dicatur *Iapheti maioris*, in casu obliquo.

III. Historia *Patriarcharum* qui inter Noachum et Abrahamum medii. Quo referuntur, vel imprimis, 1. *Genealogica* difficultas, occasione *Cainanis* inserti *Versioni* Graecae, et contextui Lucae, *Luc. III. 21.* taciti Hebraeis, Chronicorum Scriptori, Beroso, Iosepho *Ἀρχαιολόγῳ*, Africano, Eusebio, etc.

2. *Chronologicae* difficultates, in annis horum *Patriarcharum*, ex diuerso calculo Graecorum, Samaritanorum, Iosephi Historici, vt in Tabula superiore.

3. *Semi* memorabilia, cum auctoritate tum longaeuitate conspicui, vita *quingentis* post coeptum Diluuium annis producta, *Gen. XI. 11.* vt paucis sic satis annis superstes illi Abraham fuerit. Vnde opinio hunc Melchisedecum fuisse.

4. *Heberus* ipsi Abrahamo superstes, *Gen. XI. 16, 17.* a quo *Hebraeorum* linguae, et genti nomen, ob confusas mox sub filii *Phalegi* natiuitatem linguas, *Gen. X. 24.* atque in sola Heberi familia Hebraicam superstitem, quicquid fecus Viri magni sentiant, ac quoque nuper doctiss. Huetiae gentes *Noachidarum* nomine Hebraeis veniunt.

Sed conf. *Gen. 10, 21. V.*

5. *Sarugus* a Semo septimus, ad cuius aetatem simulachrorum et Idolorum cultus religiosus, inter Babylonios, ex antiqua Orientalium traditione, referri consuevit. Caetera hae angustiae non capiunt.

III. Corruptio Ecclesiae, initia, et progressus.

Hic rursus obseruantur:

I. *Initia* corruptionis in *Chamo* ipso, vt in Patrem impio, sic haud dubie in Deum. Hinc is Magiae auctor Iudaeis creditus, Gentilibus *Hammon* Patrem exsecans.

II. *Progressus* in Chami Nepotibus, *Nimrodi* potissimum auspiciis, ex Oriente, seu trans Tigridem regio-

ne orientali, profecti, *Gen. XI. 2.* Sub quo, vix saeculo a Diluio exacto, molitio Turris, structio Babelis, fundamenta Tyrannicae dominationis, post discretio ac confusio Linguarum, qua sibi inuicem facti sunt ἀλλόγλωσσοι *Gen. XI. 8.* Gentium diuisio, Populorum per Asiam, Africam, Europam, atque Ethnicarum superstitionum, nefandaeque Idololatriae origines; successiuis omnia indubie progressibus, ex Mose *Gen. X. 1.* et Ioseph. *Antiq. lib. I. c. V.* Nec hic quaestionibus historicis finis est, de quibus plena Doctorum nuper volumina.

Quod primum attinet ad *confusionem labii*, quam Auctor his verbis explicat: *qua sibi inuicem facti sunt ἀλλόγλωσσοι*, pauci forte amplius supererunt, qui ab Eius parte stant; *dissentium* enim, qui inter istam hominum societatem ortus est, in causa fuisse, vt hoc suum consilium mitterent, tum dictio *רָחַבְלָהּ*, tum ipsa rei natura, sat clare demonstrat. Deinde cur Nimrodo tantum suisque, non omnibus Noachidis molitio turris tribuatur a SPANHEMIO, ego quidem plane non video. Forte hac de causa, quod in eadem fuerit sententia, quam omnes fere fouerunt, hocce scilicet Noachidarum consilium, de tam alta turri extruenda fuisse improbissimum et valde detestandum. Dissentio hac in re, nec video cur illud a probis etiam Noachidis capi non potuerit. Turris cuius culmen coelum attingeret, Hebraismus est, vt omnes norunt, altissimum turrim significans; itemque de sicco Dei descensu existimandum; inde ergo nihil mali elici potest. Consilium, quod ceperant locum sibi parandi, qui esset quasi locus conuentus, ne successu temporis, si suos magis magisque extenderent fines, a se inuicem plane disiungerentur, si per se spectetur, etiam culpari non posse videtur. Quod autem Deus hoc Noachidarum consilium irritum reddiderit, nondum efficit illud fuisse impium, sed tantum seis consilijs non consentaneum, quippe qui cupiebat vt homines iam per totum terrarum orbem dispergerentur. Itaque non
adesse

adesse arbitror rationem, cur cum Moses nobis aliam populorum diuisionem non indicasse videatur, prior quaedam fingatur. Ceterum ex narratione Mosis hoc subsumendum esse autumo, Nimrodum cum suis, in regione vbi turris exstrui coepta erat, remansisse, vrbisque Babelis structionem absoluisse. cf. Cler. in Comment. ad Gen. XI. V.

III. *Propagatio* in ipsam *Ecclesiam*, et in familiam Semi; Nachore ipso avo Abrahami, et Thara patre, ex parte Idolis addictis, vt colligitur ex *Gen. XXXI. 53. Iof. XXIV. 2.* Vt tamen non tam in *obiecto* cultus, quam in *modo* eiusdem superstitioso peccauerint. Haud tamen pollutis hac labe, ex. gr. superstiti adhuc Noacho, vel Semo, vel Hebero, quibus trans fluvium Euphratis in Mesopotamia et Chaldaea sedes, *Iof. XXIV. 2.* Semo frustra in Cananaeae Regulum, (Melchizedecum scilicet) a Iudaeorum Magistris, aliisque, conuerso.

IV. Ethnicismi ac Polytheismi origo, propagatio.

Mox igitur a Diluio, certe a Dispersione gentium, reuixit Idololatria, atque Ethnicismus pullulauit. Haesere sane vnus Numinis, Coeli Teraeque Domini, sub *Iehouae, Adonai, Baal*, etc. antiquis nominibus culti, alte impressa vestigia. Interim *Polytheismus* exortus, cuius sequentes fuere gradus, prolixius alias illostrandi:

I. *Solis Lunaeque*, Planetarum principum, admirationio primum, tum et cultus religiosus, seu *adoratio*, manu ori admota, *Iob. XXXI. 26. 27.* variis tandem succedentibus in eo cultu caeremoniis.

Male ab omnibus fere Interpretibus hic locus Iobi adhibetur, ad probandam inde istam caeremoniam. Quaerit ibi tantum Iobus, qui loquens inducitur, num clanculum forte ad adorandum solem atque Lunam pellici se passus sit. Phrasis enim *לבי ירי אדחסי* *adhaesit manus mea ori meo* hanc interpretationem respuit, cum,

verbum נשק h. l. significaret *osculatus est*, dicendum fuisset נשק לי ידו; nec ferre eandem potest membrorum parallelisimus. *V.*

II. *Planetarum* reliquorum, *Siderum*, *Coelique* totius Apotheosis, *Deut.* IV. 19. *Ier.* VIII. 2.

III. Hinc descensus ad orbem inferiorem, et variis sub nominibus Diuinitas adscripta *Telluri* vt coelo nuptae, tum et *Oceano*, *Aquis*, tum *Igni*, (vnde *Vr* Chaldaeorum) et *Aëri* (Graecorum Ioui) hinc *Nubibus*, *Ventis*, *Imbribus*, *Fulguribus*, tandem omnibus vnde aliquis ad mortales seu terror, seu fructus Naturae beneficio, redundare intelligeretur. Quo respicit Paulus *Rom.* I. 25.

IV. Accessit cultus seu *Angelorum*, seu *Daemonum*, Inuisibilem spirituum, variis sub appellationibus, affectante honorem Patre mendacii, vel ex Mose rursum *Leuit.* XVII. 7. *Deut.* XXXII. 17. etc.

V. Nec defuit *Hominum* Apotheosis, seu *Heroum* cultus, quotquot vel rebus gestis, vel inuentis, vel dignitate, vel fundatione Gentium, vel sapientia illustres, quales initio Noachus, Chamus, Nimrodus, Iaphetus, etc. mox πολυώνυμοι. Deinceps innumeri vbiuis Gentium, Duces, Legislatores, Sapientes, etiam praecellentes Foeminae. Et relatis his ad Astra, communis illis cum Astris nomenclatura fuit, communis cultus.

VI. Successit, ex mortuorum nimio desiderio, *Columnarum* primum, ruidiori opere, tum *Simulachrorum*, *Staturarum*, *Imaginum*, *Idolorum* multitudo in Deorum scil. honorem, tum et cultus, hinc totidem rursus Symbolica Numina, antiquissimis apud Babylonios vestigiis, *Iof.* XXIV. 2. et Aegyptios, *Herodoti* I. II. Tempus circa *Serugi* aetatem signatur ex *Gen.* XXXI. *Iof.* XXII, et ex Veterum fere consensione, Eusebii, Epiphanii, Ioh. Antiocheni, Syncelli, etc.

VII. Polytheismum auxit *Polyonymia* seu multitudo nominum, quae varia vnus subiecti (puta Solis, Lunae, Martis, Veneris, etc.) Nomina, Cognomina, Epitheta,

tan-

tandem et ipsa Deos auxere: quorum sunt XXX. mille apud Hesiodum nomenclaciones. Hinc Minutius: *Tot sunt Iouis monstra, quot nomina.*

Πολυθεωτικῆς vero causae fuerunt, Linguarum diuerfitas; Diuerfitas munerum, vel virtutum, vel beneficiorum, quae singulis adscripta; Diuerfitas locorum in quibus Dii isti illustres, vnde v. gr. *Iupiter* Aegyptius, Phoenicius, Latianus, Cretensis, Carius, etc. Aemulatio denique, dum tanto Deus illustrior creditus, quanto nominibus ornatior.

VIII. Quin in Polytheismi causis infinitae supremi Numinis *Virtutes, Proprietates, Operationes, Productiones*; vnde totidem Dii Deaque, qui quaecue singulis praesentent virtutibus, motibus, actionibus, coeptis, effectis, etc. Adeo nihil sine numine.

IX. Occasio illi quoque nata ex *Historia Sacra*, qua abusus Daemon ad cultum Idololatricum. Vnde Aegyptiorum, Chaldaeorum et Phoenicum prae caeteris variae superstitiones, quin et Mythologia inde Graecorum pene tota, *Historias* sacras vel antiquiores vel memorabiliores vertens in *Fabulas*, obuiis apud Veteres et Doctos recentiores exemplis, vti de Prometheo, Epimetheo, hortis Adonidis, Vucano, Iano, Deucalione, Saturno et Filiis etc.

X. *Confusio* tandem mira orta in Gentilium Numinibus, qua factum, vt progressu temporis promiscua fuerint Dei summi, Lunae, Siderum, Elementorum, Daemoniorum, Heroum, Facultatum naturalium, Statuarum, Idolorumque nomina; Vnde tandem deprehensi *Ioues* (teste ex Varrone Tertulliano, *Apolog. c. XIV.*) *trecenti*, ne dicamus *Saturnos, Veneres, Martes, Apollines, Hercules, Bacchos, etc.* propemodum sine numero.

Haec de *obiecto* Gentilis cultus. *Modus* iam antiquissimus in ritu adorationis, Orientalium more, in ritibus Sacrificiorum, Oblationibus, Holocaustis, Altaribus, Excelsis, Delubris, Festis, etc. Sed de Ethnicismi progressu, et differentiis, plura ad Epocham sequentem.

V. Modus Institurae Ecclesiae. Fabulae Sibyllinae.

I. Coronidis loco observamus *modum institutae* tum Ecclesiae. Hic Verbum *ἀγγελον*, apparitiones, viuae voces, oracula, visiones, somnia, figurae, typi. Relata ad Christum omnia, venturum illud *semen*, verum Ecclesiae *Noachum*, hinc ad sacrificium Christi, eiusque sanguinem.

Figurarum et typorum mentione hoc loco optime carere potuisset Auctor. Quod autem ad reliqua verba: *Relata ad Christum omnia, venturum illud Semen, verum Ecclesiae Noachum, hinc ad sacrificium Christi eiusque sanguinem*, haec minime carere posse videntur additamento: *ab innumeris doctoribus christianis, tam antiquioribus quam recentioribus*. De iis enim temporibus, quibus tribuit SPANHEMIVS, haec non posse valere, inde adparet, quod nulla adsint, in Vet. Test. libris, vestigia, quae nos possint ad credendum inducere, sacrificia aliosque ritus hunc in modum esse accommodatos; nullibi talis accommodatio iussa legitur; et tandem, vt constat inter omnes, valde erronea de Messia venturo persuasio fuit Iudaeorum saltem, quae si res ita sese haberet, quemadmodum volunt, non potuisset non a Prophetis reprehendi, ipsique melius edoceri. At vbi sunt huius generis exempla in toto Codice V. T.? Vtar caeterum ea opportunitate, quam Auctor hic largitus est, quaedam super ratione instituti tunc temporis cultus diuini, legumque a Deo latarum commemorandi. Admodum pauca quidem in scriptis Mosis his de rebus nobis sunt enarrata, interim tamen nonnulla ex variis rebus poterunt colligi. Parum abfuisse formam religionis eorum qui ante diluuium vixerunt, ab ea, quam exercuerunt, qui post illud exstiterunt, inde coniectio, quod non haec, tanquam insufficientis religionis forma, causa tantae tamque vniuersalis impieta.

lis

tis fuerit; deinde primi orbis terrarum incolae post diluuium iidem fuerint, qui ante illud veri Dei cultores fuerunt; tandem non noua quaedam relata legatur. Quidquid itaque quoad illam mutatum est, solummodo consistere videtur in nouis quibusdam legibus, quae sub initium huius periodi accesserunt. Iam quod vtramque priorem periodum attinet hoc fere modo mihi fingere soleo istarum religionis formam: Egit summum Numen cum hominibus quos dicta aetas tulit, eo circiter modo, quo in vita communi pater filios solet tractare. Docuit illos se esse eum, a quo omnia sint creata et a quo omnia pendeant, eorum itaque esse rebus huius mundi sic vii, quemadmodum ipsos iuberet; se totum hunc mundum dirigere, indeque dignum esse vt ab omnibus colatur, vt omnia ab ipso expectent ipsique confidant, quidque ipsis acciderit boni illi tribuant, debitasque pro iis gratias referant; si quid cuperent, ab eo petant. His de rebus certior factus Adamus, easdem tradidit suis filiis, hique suis iterum posteris. Caeterum, vt supra dixi, egit Deus cum diuersis hominibus vt pater cum filiis: Crebrioribus nimirum adparitionibus, quibus cum illis est collocutus, ea suppleuit, quae sequentibus temporibus vel legi scriptae vel legis doctoribus erant relicta: Quid ipsis suscipiendum vel agendum esset a Deo admonebantur; si a pietatis tramite recesserant, reprehendebantur, vt in rectam semitam, si vellent, reducerentur. Elegerat nimirum Deus, vt ex historia illorum temporum cognoscere licet, homines quosdam quibus quasi familiariter utebatur, quique aliis sibi patefactam voluntatem diuinam renuntiare debebant. Praeterea non vni vel paucis familiis hoc accidebat, sed potius vt ex exemplis quibusdam conuicere fas est, omnibus iis, in quibus adhuc supererant, qui verum Deum colebant. Certe non est cur statui nequeat, primis saltem temporibus post dispersionem familiarum, ab omnibus verum Deum agnitum et pari cultu profecutum esse; idololatriam au-

tem successu temporis, prout mores magis magisque corrupti sunt erroneaeque forte de Deo persuasiones natae, inualuisse. Quo facto tandem summum numen has familias sibi ipsis reliquit, et tunc demum, vocato Abrahamo, singularem aliquam societatem, a qua coleretur, selegit.

II. *Scriptioni* utique iam tum locus, et vsui *litterarum*, quibus caruisse hos Patriarchas verisimile non fit. Sed scriptio omnis illa humana, in vsus priuatos, priuatas obseruationes, institutiones, aduersaria.

III. Insigne vero, prae reliquis, figmentum est personatae *Erythraeae*, Lib. I. et III. Carminum Sibyllinorum, fingentis sese *nurum Noachi*, eiusque de sanguine natam, quae cum Marito, et Socero, et Affinibus in Arca fuerit, Diluui ipsamet vniuersalis testis, cuius et Historiam enarrat.

Hinc *scripta* hac aetate forent ea Carmina, si quae Erythraeae isti fides, vt nimiam illis habuit Christiana Antiquitas. Habuit enim pro fatidicis ac genuinis *Sibyllarum* oraculis, nata vtpote firmandae Christianae fidei, Ethnicis conuincendis, Idololatriae arguendae. Quanquam alias Sibyllarum nullam Mose, scriptorum primo, antiquorem esse professi sint Iustinus, Tatianus, Clem. Alexandrinus, reliqui.

Noëuereos vero tot sunt indicia quot voces; fraudem arguentibus ficta antiquitate, lingua graecanica, argumento, stylo, dispositione, mendacijs, erroribus, enthusiasmis, silentio Scripturae, Paganorum, Iosephi Historici, et Patrum alias facili credulitate. De quibus praeter caeteris David Blondellus, *De Sibyllis*. Multa in hoc caetigante If. Vossio, Libro de Orac. Sibillin.

EPOCHA TERTIA.

VOCATIONE ABRAHAMI AD EXITVM
EX AEGYPTO.

I. Vocatio Abrahami, modus et tempus.

Quo referuntur I. *Antecedens conditio* Abrahami, Tharae scilicet filii, a Semo decimi. in Chaldaeis (quod cum Gentis, tum Professionis nomen est) nati et educati, et Chaldaeorum primo superstitioni, (Zabiorum dicunt Orientales) atque Idolorum cultui addicti, *Ios. XXIV. 2.*

Vt locus non sit Thalmudicorum fabulis, (referente quoque ex his Hieronymo *Tradit. in Genes.*) de Abrahamo detrectante Idolorum cultum, hinc in fornacem a Chaldaeis coniecto, et ex *Vr* seu igne illo Chaldaeorum educito.

II. *Vocatio ipsa*, ac mandatum egrediendi ex Chaldaeis, et ex cognatione, cum potissima promissione Semini benedicti, mox formam foederalem nacta, *Gen. XV. 18.* repetitis apparitionibus, ac Foederis sacramento, tandem et iureiurando confirmata, *Gen. XII. XV. XVII. XXII.* Ioseph. *Antiq. l. l. c. VIII.*

Quo et refertur promissio de terra Canaanis danda in possessionem Semini eius, *Gen. XII. 7.* etc. post annos CCCC. peregrinationis et seruitutis, *Gen. XV. 13.*

III. *Professio* Abrahami, eademque secundum alios *gemina*, vt prima fuerit ex *Vre* Chaldaeorum, cum patre Thara, anno aetatis LXX. *Genes. XI. 31. XII. 1.* altera ex Charane anno aetatis LXXV. post mortem Patris, *Gen. XII. 4. Act. VII. 2. 3.* Secundum alios vero vnica tantum, vt sit ex Chaldaea profectus demum anno LXXV. et paucis tantum mensibus Charane Patris ob morbum haeserit, vltterius perreclurus in Canaanem, facta *πεολήψες* *Gen. XI. 31. 32.* non vtique aliena. Fabula est apud *Iosephum*, Abrahamum substituisse *Damasci*, et ibi regnasse.

IV. *Conciliatio* *ἐκείνου* *γενέσ* gemini: Quorum alterum est de annis Abrahami, illinc geniti in speciem, secundum

dum ordinem *recensionis*, anno Tharae patris LXX. *Gen.* XII. 26. quod et sentiunt Viri summi; hinc eiusdem Tharae anno CCV. nati tantum annos LXXV. si fides Mofi, *Gen.* XI. 32. XII. 4.

Alterum vero est de annis Peregrinationis et Seruitutis Abrahamici Seminis, qui illinc CCCC numerantur, *Gen.* XV. 13. *Actor.* VII. 6. hinc CCCCXXX. *Exod.* XII. 40. *Gal.* III. 17. Facili conciliatione, si constituantur diuersi termini, illinc a *professione* Abrahami, vel *ἀπὸ κατασκευῆς διαθήκης*, hinc a *natiuitate* Isaac.

II. Circumcisionis Sacramentum institutum.

In quarta repetitione promissionis addidit Deus Foederis vel Testamenti sigillum, *Circumcisionem* nempe, *Gen.* XVII. 10. II. *Rom.* IV. II. De qua hic modo obseruantur

I. *Tempus* institutionis, anno vno ante natum Isaacum, Abrahami XCIX. Ismaëlis XIII. *Gen.* XVII. 24. 25.

II. *Usus* Sacramenti, futuri in signum vt varie significans, sic obsignans promissionem, commemorans beneficia, vti et peccata, demonstrans fidem Abrahami, distinguens semen illius, praefigurans sanguinem Christi, adumbrans circumcisionem *ἀρχεποιότητος*, instruens de resecanda malitia cordis, inde ab infantia, nec sine dolore poenitentiae, etc.

Ego quidem valde dubito, quin ea quae hoc loco protulit Noster ex omnibus libris V. T. simul sumtis possint demonstrari, si excipias verba: *distinguens semen illius*. Et quanquam SPANHEMIVS in hoc vario vsu circumcisionis recensendo multa omiserit, quae ab aliis solent somnari, at tamen eum multum iam limites transgressum esse arbitror. Non negabo ea, quae sub initium commemoravit Auctor, cum circumcisione posse cogitari, si quis sibi quicquid tum temporis cum Abrahamo actum est, repraesentet. At quod circumcisionis consilium hoc fuerit, ego quidem adfirmare non audeo. Videtur quidem narratio mosaica (*Gen.* 17.) hanc meam sententiam

tiam refellere, verum enim vero si in eandem accuratius inquiri, nisi fallor, cum illa optime potest consistere. Abrahamo promissio data est de filio nascituro, ex quo posteris temporibus magnus oriretur populus, cui terra Canaan in possessionem obueniret. Tam Abrahamo suisque quam eiusdem posteris iniunxit Deus circumcisionem in signum foederis; quod vel de promissione futurae possessionis terrae Canaan, vel de eo quod ciues electi sui populi essent, explicandum est. Si prius, cessare sane debuisset circumcisio, posteaquam occupauerant istam terram, itaque posterius vnice tenendum esse videtur. Iam si, quidquid de circumcisione re lata legimus, accuratius perpendo, ego quidem eiusdem vsum sic solummodo possum fingere, quod a Deo constituta sit in signum, quo qui, vt ita dicam, sui regni essent ciues a reliquis nationibus seu idololatriis, segregarentur, et tanquam singularis populus existerent. Admodum mihi quidem conuenire videtur hoc cum istorum temporum ratione. Per totum terrarum orbem desierat cultus Iehouae, si singulos excipias, vel ita tamen corruptus erat, vt non potuerit non successu temporis plane cessare. Elegit hac de causa suam Numen Abrahamum, et ex illo gentem oriri curauit, quae suo cultui esset dicata. Ne itaque haec gens cum reliquis populis commisceretur, sed vt singularis populus semper esset, instituit circumcisionem in signum membrorum huius selecti populi, seu societatis. Si quis vsum circumcisionis magis extendere velit, is neque in scriptis mosaicis suae sententiae praesidium inueniet, neque cauere poterit quo minus Prophetis circumcisionem cordis vnice commendantibus, et ipsi Mosi eandem populo promittenti Deut. 30, 6. contradicat. Quo enim alio modo explicari possint talia loca non video, nisi hoc, vt dicatur phrasin *circumcidere cor* significare, *animum suum reddere affectum ad cogitandum agendumque quemadmodum Deus poscit*. Discernitur scilicet a se inuicem ipsa circum-

circumcisio et circumcisio cordis sic, ut *illa* ea sit caeremonia quae efficiat ut quis ad istam societatem, quam Deus sibi elegit propriamque fecit, referatur et non, ut scripturae loquendi mos fert, ex coetu populi Dei excindatur, *haec* vero aliquem verum Dei cultorem, non externe solum, reddat. Jam patet simul causa cur Christiani a lege circumcissionis immunes sint facti. Noluit nimirum nostrae religionis Auctor, eandem limitibus quasi circumscriptam esse, vel nationi alicui propriam, sed potius ut per totum terrarum orbem propagaretur, curavit; remouit ergo, ut ita dicam, sepem qua huius aeternae ab aliis nationibus secludi poterant.

III. *Imitatio* variarum Gentium, quum ab Abrahamo et posteris, (non contra ut calumniatus apud Originem Celsus) imitatione acceperint Circumcisionem *Aegyptii*. mundiuei causa, quos inter et circumcisus Pythagoras apud Clem. Alex. Similiter *Arabes*, vel *Ismaelitae*, *Idumaei*, *Aethiopes*, *Colchi*, *Troglodytae*, *Phoenices*, *Syri*, nisi hi apud Herodotum sint iidem qui Iudaei, vel Idumaei. Obuia sunt ex eodem Herodoto, Diodoro, Strabone, Iosepho, Philone, aliis, hac de re testimonia. Sed et plana Circumcisionis apud eas Gentes origo est, inde ab Ismaele, Kethura, Edomo, Iethrone, habitatione aegyptiaca, et ex Coloniis Aegyptiorum.

III. Historia reliqua Abrahami, Isaaci, Iacobi, Filiorum.

Nempe ad eam spectant quae plenius enarrantur Auctori Geneseos, et Ioseph. *Antiq.* l. I. et l. II. ad c. V. vsque. Nam Fabulis Arabum, et Iudaeorum, finis nullus est, legendis apud Hottingerum *Smegm. Orient. cap.* VIII. Huc faciunt igitur

I. *Abrahamicae* fidei admiranda, variis casibus exercitatae, eiusdem domi forisque discrimina, itinera, dissidia, bella,

bella, foedera, occurfus Melchizedecianus, tentationes, coniugia, filii Ifmaël et Ifaacus, (filiorum *carnis* et *promissionis* cum typi tum exempla *Rom. XI. 7. 8.*) constantia, mors, feputura ad *Cap Genef XXV. II.* In quibus *Lothi*, filiarumque, et *Sodomae*, historiae intertextae apud *Mofem*.

II. *Ifaaci* natiuitas miraculofa, (de quo *Hebraei* genitum mense VII. hinc partum *feptimefivem* vitalem effe) educatio, facrificium, coniugium, feceffus, pericula, foedera, reuelationes, fenium, liberi *Efaus* et *Iacobus*, (pares natura, difpares gratia, geniti autem anno *Patris LX.* a *Promiffione LXXXVI.*) extrema denique; memorata eius morte per *περάληψιν*, *Gen. XXXV. 28.* vt *Iacobi* *Historia* continua ferie pertexeretur.

Non video qua ratione Efaus et Iacobus dici poffunt pares natura, cum ingenio, animi indole, vite instituto, imo ipfa corporis forma exteriori tantopere inter fe diftarent, vt nulla fere in re fimiles fuiffe videantur, nifi quod ambo vno partu editi effent. Nec verius dicuntur gratia fuiffe difpares, cum omnia, qua de *prærogatiuis Iacobo* conceffis in *S. S.* relata legimus, non de ipfo *Iacobo*, fed de eius pofteris intelligenda fint. *Nufquam enim in historia Sacra* narratur, *Efaum* ipfum feruiffe *Iacobo*.

III. *Iacobi* cum *Efauo* certamina, fuga, coniuges, liberi, mora in *Mefopotamia*, reditus in *Palaefinam*, vifiones frequentes, calamitates domefticae, conciliatio cum *Efauo*, Inftus fuper *Iofepho*, ad hunc ipfum, varia fortuna lactatum, mireque in *Aegypto* exaltatum, legationes, tandem profectio, cum omnibus fuis, manfio in *Aegypto*, vaticinia nouiffima, mors, funus, quibus terminatur *Liber Genefeos*, addito *Iofephi* exceffu, annis poft *Patris* deffenfum *LXX.* a *Promiffione CCLXXXVI.*

IV. In hac omni narratione *Mofaica* duo cumprimis obferuanda I. *περάληψες* nonnullae familiares *Scriptori Genefeos*, feu *historicae* anticipaciones, in memorandis, verbi

verbi gratia *Capite XI. 31.* migratione Abrahami, *Capite XXXV. 28.* morte Isaaci, etc.

2. *Ἐναντιοφωνή* quaedam, seu pugnae in speciem Scriptoris Sacri aut secum ipso, aut eum aliis Scripturae locis: v. gr. illud *Cap. XXXIII. 19.* pugnans cum *Act. VII. 16.* de quo prolixè nos in nostra Historia Iobi, *Cap. XI.* sic illud de *LXX* animabus in Aegyptum profectis, *Gen. XLVI. 27* in speciem pugnans cum recensione *Gen. XLVI. 26.* et *Act. VII. 14.* varia conciliatione Eruditorum.

IV. Peregrinatio Israëliitarum in Aegypto.

I. Iacobo suis Patribus adscripto supervixit Iosephus annos circiter *LIII.* a descensu vero in Aegyptum annos *LXX.* Hinc vero scilicet a morte Iosephi ad Exitum Israëliitarum fluxere anni *CXLV.* quemadmodum a descensu Iacobi ad Exit. anni *CCXV.* Quibus si adduntur anni totidem a Promissione ad descensum Iacobi *CCXV.* vt totidem ex Mose colliguntur, exsurgunt anni Peregrinationis *CCCCXXX.* de quibus *Exod. XII. 40.*

II. Vnde illorum insignis error qui Aeram *habitationis* in Aegypto magnopere producant, et confundunt cum Aera totius *peregrinationis* posterorum Abrahami, in terra non sua, id est, tam in Canaane quam in Aegypto. Ast *quarta generatio* de qua *Gen. XV. 16.* putanda demum a tempore ingressus in Aegyptum; nisi quatuor generationes sint quatuor illa saecula, *Gen. XV. 13.*

III. Plana ex Mose reliqua, scilicet 1. Israëliticae Ecclesiae post Iosephi fata, foeda *servitus*, secundum praedictionem factam Abrahamo.

2. *Multiplicatio* incredibilis inde a descensu in Aegyptum, secundum promissionem, vt spatio annorum circiter *CCXVI.* memorentur ex animabus *LXX.* prognati masculi *sexcenties et ter mille* cum *quingentis et quinquaginta*, iidemque supra annum aetatis *XX.* praeter *Leuitarum XXII.* millia, et merfos atque enectos a Pharaone infantes, *Exod. XXXVIII. 26. Num. I. 46-47. III. 39.* illius diuinitus consilii Aegyptiorum.

3. Cor-

3. *Corruptio* multa inter Idololatræ Gentes contracta, *Iof. XXIV. 24. Ezech. XXIII. 3. 8.* maxime a Iosephi excessu, Iudæis excipientibus ab hac corruptione tribum Leui.

4. *Calamitates*, oppressiones, ludibria, gemitus, quin, secundum Magistros, combustio Istraëitarum in castino ignis, ex *Deut. IV. 20.* vt pro vilissimis mancipiis vsi sint Aegyptii, in aggerum, vallorum, Pyramidum extrusionem, apud Iosephum *Antiq. I. II. c. V.*

5. Factum *obstetricum* (seu iam Hebraeae illae fuerint iuxta Augustinum, seu Aegyptiae iuxta Iosephum) seruantium puerulos Hebraeorum, Dei magis quam Regis habita ratione, et Regem deludentium responso indefinito, ac referentium diuinitus praemium, non dicti sed facti, *Exod. I. 21.*

6. *Mosis* nativitas, occultatio, conseruatio, per familiam Pharaonis (*Thermutin* Iosephus, alii *Merin*, *Myrrhinam*, alii *Sytun*. Magistri *Bathian* vocant; hinc et ab educatione ex aequa *Moses* nuncupatus, voce secundum Iosephum, Clem. Alex. alios, *Aegyptiaca*, secundum alios *Hebraea*.) educatio in Aula Regia, sapientia Aegyptiaca, secessus in Arabiam Madianitidem, aliis Aethiopiam, Pastoralis vita, etc. Quae omnia vel dubiis vel fabulosis miscet Iosephus, Philo, Hebraei, Artapanus apud Eusebium. *Lib. IX. Praepar. etc.*

7. Historia *Ephraimi* et *filiorum*, *1 Chron. VII. 20.* etc. (cuius et meminit Chaldaeus ad *Cant. II. 7.*) seu cladis per Gethaeos Palaestinos Ephraimitis illatae, de cuius occasione, tempore, secutis generationibus Ephraimiticis, nonnulla dubia, quaedam apud alios fabulosa.

V. Synchronismus sanctorum Virorum, extra familiam Abrahami.

I. Nempe fuerunt etiam extra familiam Abrahami, et *Isaaci*, atque adeo extra Ecclesiae sedem *ordinariam*, Viri a pietate et religione in verum Deum commendati, in

praeludium vocationis Gentium, de quo praeclare Augustinus de *Ciuit. Dei*, l. XVIII. c. 47.

II. Neque dubium quin in his accensendi sint, *Nachor* frater Abrahami, et in eius familia *Vtz*, a quo optimus Iobus, *Buz* a quo *Baracheel*, pater sapientis *Elihu*, *Iob. XXXII. 2.* et *Bethuel* a quo *Laban*: Sic in filiis Abrahami ex *Kethura* concubina, qui paternae instructionis tenaciores, *Genes. XVIII. 19.* vt indubie ex iis *Bildad* filius *Suachi*, *Genes. XXV. 2.* dein et *Iethro* *Madianita*: Sic in posteris *Efsau* *Eliphaz* *Themaites*, Iobi amicitia et colloquiis conspicuus, forte et in iis *Tzophar* *Naamathites*, amicus alter Iobi. *Septem* vero in Gentibus *Prophetas Hebraei* memorant.

III. Omnium maxime illustris *Melchizedecus*, de quo illinc breuitas *Mosis*, hinc *Pauli* mysterium, reddidere obscura multa. Vnde quaestiones retro agitatae;

Num is persona *creata*, an vero *increata* et (*Viris vt magnis placuit*) ipsissimus *Dei Filius*, praeludens *incarnationi*?

Hypothesis est, quam iis libenter relinquimus, qui huius generis fictiones amare solent. Interim videant, quomodo hanc hypothesein cum verbis ἀφωρισμένους δὲ τῶν ὑμῶν τῶν Θεῶν, *Hebr. 7. 3.* componere possint. *V.*

Num *Semus idem*, aut *Pelegus*, aut *Pelegi filius* iuxta *Orientales*, an alius *Salemensis* *Regulus*?

Quae illa *Salem*, cui imperitasse memoratur, an *Hierosolyma* iuxta *Iosephum*, an *Salem altera* *Gen. XXXIII. 18.* secundum *Hieronimum*?

Vnde idem *Sacerdos Dei altissimi*, in corruptissimis *Cananaeis*, extra *Ecclesiae visibilis* fines?

Facilis esse videtur responsio. Nondum enim in illa temporis periodo sic obscurata erat veri *Dei* cognitio, vt praeter familiam *Abrahami* nemo amplius superesset, qui eundem coleret; etiam si a plurimis forte eorum qui verum *Deum* coluerunt, idololatria cum eiusdem adoratione sit coniuncta. Iure meritoque colligi hoc posse arbitror ex *historia Bileami*, *V.*

Qua-

Qualis illa *oblatio* panis et vini, item et *decimatio*, de quibus Moses, *Genes. XIV. 18. 20.*

In quibus idem Melchizedec gesserit Christi Regis et Sacerdotis *typum*, et qui eidem reliqua apud Paulum *eloquia* conueniant, *Hebr. VII. 1. et seq.*

Comparisonem quidem inter Christum et Melchisedecum a Paulo *Hebr. VII.* institui, ex dicti capituli argumento clarissime adparet, at quod Paullus Melchisedecum fuisse Christi *typum* adfirmauerit, ego quidem non video. *V.*

IV. Sed et de *Iobo* sunt obscurissima omnia, in clyto calamitatum, pietatis, fidei, patientiae, constantiae, efficacissimarum precum, exemplo.

De eius vero Persona, an Iobab iuxta *reges LXX?* de Aetate, Genere, Patria, Dignitate, Religione, Restitutione, Amicis, Posteris, etc. tradit ex professo nostra *Historia Iobi.*

IV. Idololatria specialis variarum Gentium; currente hac Epocha.

I. Huc spectat Synchronismus firmatae Idololatriae in antiquissimis Gentibus. Hinc notae superstitiones in *Asiaticis* quidem, Semitis vel Chamitis, etiam ante Mosaica tempora, Chaldaeorum illae, Syrorum, Phoenicum, Arabum, adde et Phrygum sed qui ex Iapheto.

In *Afris*, illae Aegyptiorum, Aethiopum, Lybum, postea quoque et Poenorum, Phoenicia matre.

In *Europaeis*, seu in Iaphetianis, cultus cum maxime Scytharum, ac vicinarum Gentium, qui prae caeteris in Barbarissimum abiit.

II. Asiaticae Idololatriae parentes CHALDAEI, alias Babylonii, Assyrii, quandoque Sabii: Qua in secta educatus primum Abrahamus, *Ios. XXIV. 2.* Celebriores hi fuere.

1. *Astrologiae* studio, vnde *Chaldaei* iidem qui Astrologi, Genethliaci, Mathematici, alias etiam *Magi*, varia vocis originatione apud Eruditos,

D

2. Hinc

2. Hinc deflexione ad cultum *Solis*, tum *Lunae*, antiquissimum omnium, pridem ante Iobum, *Iob. XXXI. 26. 27.* et ante Mosem, *Deut. IV. 19.* sub nominibus Bel, Bel-samen, Beltis, Mylittae vel Mylithaeae, etc.

3. Cultu *Ignis*, vnde *Vr Chaldaeorum*, nisi secundum alios Iucem vel solem intellexerint.

4. Cultu symbolico *Idolorum*, simulachrorum, imaginum, quales in Scriptura Teraphim, et idola Nisroch, Rimmon, Nebo, Beli simulachra, etc. de quibus fufe alii.

III. Cum his affinia *Syrorum Sacra*, et *Phoenicum*, in plerisque communia.

Nam et his supremum Numen *Sol* quem dixere Baal, Molech, Adoni, El. etc. tum *Luna* quae Baalath, Melecheth, Astaroth, etc.

Additus cultus tum *Heroicus* illustrium demortuorum, sub nominibus Bacchi, Herculis, similibus; tum *Symbolicus* Idolorum, qualia in Historia Sacra memorantur varia, culta Ammonitis, Moabitis, Acaronitis, Philistaeis vel Palaestinis; de quorum nominibus, forma, cultu, cultoribus, Vossius, Seldenus, Beyerus, Herbertus, Bochartus, et eruditi Commentatores.

Nullius vero Gentis vel Numina, vel Idola, vel Sacra multa et instituta, aut Fabulosa narrationes, tam evidentem habent ex S. Literis, male intellectis aut detortis, originem, etiam lucem, vt pluribus Eruditi ad voces *Baal, Molech, Iao, Adoni, Hel, Il, Israel, Ieud, Rimmon, Bacchus, Sabafius, Astaroth, Dagon, etc.*

V. *Arabum* superstitionem haud obscure innuit Iobus, Arabs ipse gente et habitatione, Mosé haud paulo antiquior, *Iob. XXXI. 26. 27.* Hinc communia his plerisque cum Moabitis et Madianitis sacra, *Num. XXV. 6.*

Idem dicti *Zabii*, vel *Sabaei*, celebris iam secta Abrahami tempore, si fides Maiemonidi et Orientalibus, Salmasio tamen, Seldeno, aliis, Chaldaeis et Assyriis accensiti, aliis etiam habiti in Aegyptiis.

VI. *Phry-*

VI. *Phrygum* et antiquissima superstitio est, gentis ex Iapheti et Gomeri posteritate, de quorum *Cabiris* seu diis magnis, *Gallis* seu sacerdotibus, *Seleno* vel *Sileno*, Deo, etc. plura Vossius, Bochartus, alii.

VII. Ast vero in Africes parte, Asiae contigua, supra omnes cum vetustate tum superstitione inelyta fuit *Aegyptiorum* Theologia. Hinc primi crediti qui adepti sint Deorum cultum seu publica ac solemnia instituerint sacra, in Templis, Delubris, Sacerdotali cultu, ex Diodoro, Herodoto, Strabone, Luciano, Ammiano.

Communia his cum aliis sacra in Solis, Lunaeque cultu, at speciali appellatione *Osiridis* et *Isidis*, ac singularibus Ceremoniis, vt et Idolis iisdem sacratis, et additis fabulis ἀφαισμοῦ, ἐφεῖρα etc.

Culti his et *Planetae* reliqui, ex Astrologica disciplina, a quibus *Septimanae* dies distinxerunt, et cyclum illum obseruarunt, sicut Hebraei. Culti etiam *Heroës*, Gentis conditores ac sapientiae Magistri, v. gr. *Cham*, *Chus*, *Nimrod*, *Mizraim*, *Iosephus*, *Moses*, sub nominibus *Osiridis*, *Bacchi*, *Saturni*, *Hammonis*, *Mercurii*, *Thoth* vel *Taauti*, etc.

Culti et *Cacodaemones*; quorum instrumenta Magi, Incantatores, tempore Iosephi, et Mosis, vnde frequentia Mosaicae Legis interdicta, *Leuit. XVII. 7. Deut. XXXII. 17* etc.

De *Aquae*, *Nili* et *Brutorum ἀποθεώρες* apud Aegyptios obuia res est, pro eorundem vel vtilitate eximia, vel pernicie damnosa, et quod latere in iis Dii crederentur. Hinc *Pastores* abominati quod ad esum pascerent quae ipsi ad cultum destinarent. Sacri cum primis Bos, Aries, Caper, Hireus, Ouis, Canis, Felis, etc. ne Volucris, Aquatilibus, Reptilibus exceptis. *Sus* Aegyptiis vt Hebraeis exosa.

Plantas et coluisse Aegyptios multorum sententia tulit, fidem vix habente Gerh. Ioh. Vossio, *de Theol. Gentil.* l. V. posthumo, c. XLV.

Idola, siue simulachra iisdem longe plurima, quibus et litarunt sacrificiis, templis, festis, tripudiis; Famosa sunt prae caeteris *Apis*, *Serapis*, *Mneuis*.

Nec capiunt hae angustiae reliqua de Aegyptiorum *Sacerdotibus*, *Ceremoniis*, *Sacrificiis*, *Feriis*, *Ludis*, *Hieroglyphicis etc.* de quibus prolixè Viri summi.

Certum vero quod in multis serpsit contagium ab Aegyptiis ad Israëlitas, vel in Aureo Vitulo conspicuum: Quemadmodum et illud indubium, respexisse frequenter Legislatorem ad Idololatriam, *βδελύγματα*, ritus, instituta Aegyptiorum, multis cum detestatione *damnatis*, quibusdam *inuersis*, aliis *permisissis*, ac omnino *retentis*.

VIII. Aegyptiorum illi proxima fuit, et cum his fere communis, *Aethiopum* Idololatria, vicinae ad Austrum et antiquissimae Gentis, communisque cum Aegyptia originis, ex *Mizraimi* posteris, apud Bochartum.

IX. *Lybum* et vetustissima superstitio fuit. Gentis vt ortae ex Chami nepotibus, sic in qua famosissimum Delubrum Chamo structum, Oraculis inelytum, sub *Hammonis* appellatione, vnde *Ammonia* seu *Ammoniaca* regio.

X. *Scytharum*, *Thracum*, *Sarmatarum*, *Celtarum etc.* ex Iapheti posteritate, venit superstitio communi nomine *Scythismi* et *Barbarismi*, apud ipsum Paulum Col. III. II. De quorum sacris ex professo nuper Elias Schedius, post alios.

Antiquissimum et hoc Idololatriae genus est, (certantibus Scythiis de antiquitate cum Aegyptiis, testibus Herodoto, Iustino, etc.) vt et foedum humano sanguine, ac sacrificiis. Frustra autem Epiphanius *Haer.* I. I. *Scythismum* durasse dicit ad Serugi tempora, dehinc coepisse *Hellenismum* vsque ad Abrahamum, mira anticipatione, ac in affirmando securitate.

De *Hellenismo* igitur opportunius nos ad Epocham VI,

VII. Media per quae Ethnicismus propagatus.

Tandem huc faciunt ea media quibus inter hasce gentes usus est Cacodaemon, propagando ac firmando Ethnicismo.

Inter quae praecipua fuere I. *Oracula*, et in his celebriora illud Iouis Thebani apud Aegyptios, Iouis Hammonis in Lybia, et Iouis Dodonaei in Thesprotia, Epiri regione, dein quoque illud Apollinis Pythii seu Delphici in Phocide.

II. *Variae* et artes *Diuinandi*, ac reuelandi occulta, aut futura praedicendi, per *Theraphim*, Talismanim, Magicas artes, Pythones, Astrologos, Augures, Haruspices, *μαυρείας* varia genera, etc.

III. Sed neque *Scripta Fatidica* deesse voluit, quae Gentilibus essent instar Librorum Propheticorum, quaeque magno Ethnicis in pretio habita, sub nominibus Hermetis, seu Mercurii, Zoroastris, Hydaspis, Sibyllarum, Mose autem posteriora omnia, etiam *Libri Hermetis τῆς ἑρμηνείας*, alias secundi, Exodo iunioris, apud Eusebium, Syncellum, etc. quos Libros omnem Aegyptiorum Philosophiam complexos esse, et in adytis Templorum repositos, prolixè prae caeteris Clemens Alex. *Strom.* l. i.

De *Sibyllis* Paganis, earumque scriptis, alias; vti de Pseudo-Sibyllinis Carminibus dictum supra fuit.

IV. His addi debent fictae *Reuelationes*, et *Apparitiones*, quas obtenderunt profani Legislatores, ac nouatores superstitionum, conciliandae auctoritati; De quibus necdum hic commemorandi locus est.

EPOCHA QVARTA

AB

EXITV ISRAELITARVM AD FINEM IVDI-
CVM, SEV AD TEMPVS SAMVELIS
ET SAVLIS.

I. Mosis Vocatio, Legatio ad Pharaonem.

Dum sic propagatur Idololatria vbique gentium, et obscuratur vera Religio in Abrahami posteris, grauiissima seruitute pressis, en *Mosem* miro quodam modo diuinitus excitatum, Ecclesiae instaurandae, Israelitis Aegyptiaco ingo subducendis, atque inducendis in eam Terram quae et promissa Patribus, et typus aeterni Sabbatismi.

Si forte Auctor, vt ego quidem arbitror, ex Epist. ad Hebr. c. 3. et 4. haec coniecit, vtique adfirmare audeo, admodum infelici hoc factum esse coniectura. Vt vt sit, verius omnino dictum fuisset, si horum verborum loco scripssisset, et electa erat, vt in eius finibus veri Dei cognitio atque cultus conseruaretur. *V.*

III. *Antecedanea* Vocationis ex superioribus intelliguntur. Ad *vocationem* ipsam, et quae proxime infsecuta sunt, spectant;

Apparatio Dei in Horeb, et Rubi ardentis conspectus:

Angeli Iehouae *Actor*. VII. 30. 35. sed qui ipse etiam Iehouah, *Exod.* III. 6. 14. 15. VI. 3. et idem qui *Gen.* XLVIII. 16. *Esai* LXIII. 9. ad Mosem directae voces:

Mosis octogenarii cunctatio, erectio, addita praedictione in signum, *Exod.* III. 12.

Sociatio Aaronis fratris, et vtriusque ad Pharaonem ablegatio:

Confirmatio legationis per miracula, prodigia:

Certamina cum Pharaone, et Magis, qui *Iannes* et *Iambres* nuncupati *2 Tim.* III. 8. vti quoque apud Ionathanem Paraphrastem, et apud Talmudistas frequenter, in eam apud Numenium, Plinium, Apuleium, Artapanum in Eusebii *περὶ παραστ.* l. XI. missis de hoc certamine fabulis.

In-

Induratio Pharaonis Regis, indignati sibi leges figi, proprio in regno, a subditis duobus, nomine ignoti Dei, ad imminutionem potestatis, cum interminatione plagarum:

Plagae ipsae, immissae Aegyptiis, decem numero, comprehensae vulgatis versibus, sed male natis.

*Prima rubens unda, ranarum plaga secunda,
Inde culex tristis, post musca nocentior istis,
Quinta pecus stravit, anthraces sexta creavit,
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando.
Nonna regit solem, primam necat ultima prolem.*

Ac tandem reliqua usque ad historiam Exitus, de quibus a cap. III. ad XII. Exodi, et apud Iosephum *Antiq.* I. II. c. V.

II. Praecedanea Exitus. Exitus ipse Populi. Consequentia quaedam memorabiliora.

I. Praecesserunt immediate Exitum ex Aegypto,

1. Institutio *Paschatis*, facta diuinitus sub initium mensis *Abib*, seu *Nisan*, vel *Xanthici* apud Iosephum, Deo hunc mensium primum esse iubente, *Exod.* XII. 2. 18. De cuius Paschatis tempore, circumstantiis, ritibus, significatione, discrimine primi a reliquis, ut in quo fuerint multa singularia, prolixius Theologi et Interpretes.

2. *Mandatum* diuinum de petenda *supellestile* Aegyptiorum, pro iure Dei *αυτοκρατορικῶ*, ut in Aegyptiorum vitas sic bona, praedicente Deo ad Mosem, *Exod.* III. 21. 22.

3. *Traditio* ipsa vasorum et supellestilis, a vicinis quibusque Aegyptiis, *Exod.* XI. 2. flexis diuinitus eorum animis, seu ex metu percussione, *Psal.* CV. 38. seu ex affectu ob sublatas priores plagas, *Exod.* XI. 3. seu per modum *doni*, ut vult Iosephus, seu per modum *commodati*.

4. *Plaga decima* et vltima, seu deletio primogenitorum tam in hominibus, quam in animantibus, *Exod.* XII. 29. 30. et *maritum* quidem, quorum sola videtur esse in textu designatio. Et hanc immediate excepit Exitus Popu-

li, faciente illa ipsa nocte abeundi potestatem Pharaone Rege. *Exod.* XII. 30. etc.

II. Quantum ad ipsum *Exitum*, constant ex Mose,

1. *Tempus*, dies XV. primi mensis sacri, quum iam vasa collegissent inde a die XIII. tempore autem nocturno, feria Hebraeis V. annis post coeptam habitationem in terra peregrina CCCCXXX. *Exod.* XII. 40. 42.

2. *Modus* et ratio, vt eiekti verius quam dimissi fuisse videantur, *Exod.* XII. 39. duce constituto diuinitus Mose, Principe Israëlitarum, primo, hinc *Rege* appellato, *Gen.* XXXVI. 31. *Deut.* XXXIII. 5. viam praemonstrante Nube interdiu, Columna ignis noctu, symbolo Prouidentiae; Itinere etiam non compendioſo Palaestinam versus, sed deflexo ad Mare rubrum et Arabiae deserta; Ordine quoque tali vt *quini* vel in *quincunces* dispositi procederent, verius quam *accincti* vel *armati* vt aliis visum, ex *Exod.* XII. 37.

3. *Numerus* exeuntium, viroꝝ se, *sexcenta milia*, praeter pueros infra XX. annum, praeter senes, foeminas, turbam promiscuam et pecudum agmina, *Exod.* XII. 37.

4. *Translatio ossium* Iosephi, *Exod.* XII. 19. vt mandati expressi *Gen.* L. 25. atque adeo et cinerum Patriarcharum reliquorum, vt suadet ratio, et locus *Act.* VII. 16.

III. Tandem plana sunt ex Mose quae eum *Exitum* proxime consecuta sunt, ad tempus datae *Legis*.

1. Miraculum *fissi Maris* Erythraei, *Exod.* XIV. 16. et seq. complicatum ex pluribus miraculis, v. gr. Mediae nubis inter Israëlitas et Aegyptios, effectu contrario; Euri opportune excitati, qui ipsos quoque Aegyptios arenis obrueret; Noctis opportunae huic prodigio destinatae, illique sufficientis; Mosis fidei, cum percutientis aquas; tum primi ingressi; Non refluentium, sed constitentium utrimque aquarum, Medio sicco; Pharaonis cum inducti ad ingressum maris, tum absorpti refusione aquarum, contrario miraculo, additis fulguribus, ignibus, etc. *Exod.* XV. 10. Iosephi *Antiq.* I. II. c. VII. Vt cum ignorantiam,

tum

tum desperatam incredulitatem prodant, qui in *naturales* modo causas, fluxum et refluxum, Eurum exsiccantem, id genus alias, quicquid id fuit, refundere cum Porphyrii, aliisque non erubescunt.

Errant etiam qui Israëlitas negant *transiisse* in aduersum et oppositum littus, vbi desertum Shur Ex. XV. 23. Rectius Iosephus, Philo, cum Scriptura f. vfa voce עבר.

2. Prodigia aia multa, vti sunt *edulcatio* aquarum in Mara, nulla certe ligni iniecti tanta virtute, Exod. XV. 2.

Subministratio *Coturnicum*, opportuno tempore, et tanta copia, alendis tot centenis millibus, Exod. XVI. 13.

IOBVS LVDOLFVS (in Histor. Aethiop. L. I. c. 13. 8. 96.) interpetatur vocabulum שליום, non *coturnices*, sed *locustas*; OLAVVS RYDBEKIVS autem *pisces alatos*. V.

Datio *Mannae*, instar roris coelestis, loco panis deficientis, vt quamuis ex Iosepho frequens in illo Arabiae tractu Manna, miraculum tamen arguant circumstantiae temporis, loci, copiae, saporis, durationis, etc. Exod. 16. 15.

Percussio *rupis* seu *petrae Horeb* mansione vndecima, Exod. XVII. 6. quae pars Sinai montis, ad vltiorem proeectis Israëlitis, mansione duodecima, Exod. XIX. 1.

Victoria diuinitus de Amalekitis, Esau propagine, concessa, etc.

Amalekitas, quibuscum armis contenderunt Israëlitas, non ab Esauo ortum ducere, multa euincunt, inprimis 1. quod Num XXIV. 20. appellantur ראשי גוים 2. quod populis interneccione delendis annumerantur Ex. XVII. 14. Deut. XXV. 19, cum Edomitas vexare interdictum esset Israëlitis Deut. II.

4. 5. etc.

Mysteria vero *typorum*, huius nec compendii sunt nec historiae.

3. *Sabbathi hebdomadae* expressa per Mosem sanctio, Exod. XVI. 23. 25. noua quoad circumstantias, et obseruandi modum, et praeeptionem huic populo, cui futurum erat *in signum*: Vt tamen *septimum diem*, perfecto

Creationis opere, quiete Dei, diuina benedictione, ac commendatione, hominis quasi natalibus, ac tot nominibus insignem, distinxisse credatur haud immerito Patriarchae, memores eo singulariter Dei beneficiorum. Vbi *certa* ab *incerta*, etiam *fabulosis*, qualia sunt nonnulla Magistrorum, distinguenda veniunt,

Cum neque adsit idoneum argumentum, neque ex illa temporis periodo, quae fuit ante Mosen, vel minimum exstet indicium, quod iam ante mosaicam institutionem celebratum sit Sabbathum; fatius esse existimo et hoc in loco ab illa sententia, quam hic secutus est SPANHEMIVS, recedere. *V.*

III. Promulgatio Legis e monte Sinai.

Huius promulgationis ex Mose cognoscuntur

1. *Antecedanea*, commemoratio diuina beneficiorum, tum Prouidentiae, tum Gratiae, *Exod.* XIX. 4. 5. 6. Praeparatio triduana, quoad mandatum et executionem; Nubes, tonitru, fulgura, ignis, etc. Signa Foederis cum politici et externi, tum spiritualis et interni; Foederis *gratiae* indicia multa, sed et foederis *operum* externa quaedam species, in signis diuinae Maiestatis, nube, cancellis, interminatione mortis, sanctificatione carnali, fumo, terrore, etc. *Exod.* XIX. 9. 10. 12. 13. 14. 18. haud satis intelligente Populo suam *αδυναμιαν*, *faciemus omnia*, *Exod.* XIX. 8.

2. *Locus*, mons Sina, vel Sinai, in deserto Arabiae, *Sinna* Straboni, *Sinaeus* Iosepho, cuius iugum vel cacumen alterum *Horeb* dictum, positis ad radices cancellis, Mose et Aarone mediis inter Deum et Populum *Exod.* XIX. 24.

3. *Tempus*, dies ab Exitu ex Aegypto, et a primo Paschate, *quingagesimus*, hinc *Pentecostes* festum, *πεντηκοστή* scil. *ἡμερα*, tertio mense sacro.

4. *Legislator*, Deus Israëlis, Iehoua, contradistinctus falsis Diis, futurus in Deum, gratiam faciens, etc. *Exod.*

Exod. XX. 2. 3. 4. 6. Angelus sane dictus, Exod. XXIII. 20. sed Foederis, Testamenti, facierum, ipsa Dei facies, *Exod. XXXIII. 15.*

Indutus idem tamen hic Maiestate, ac forma terrifica, vnde prohibitio ab accessu ad Montem, deprecatio Populi, legales minae, etc.

5. *Administri*, Angeli increati, quorum stipatus fuit pompa, *διακοναίς, Act. VII. 53.* satellitio, quorum et voce Lex promulgata.

Expunge vocabulum *increati. V.*

6. *Signa* addita, media inter fulgura, tonitrua, flammam, terrae-motus, clangores tubarum, etc. atque adeo cum terrifico apparatu, ostendendae Legislatoris Maieitati, tum et Legis proprio effectui, et aggravando reatui.

7. *Lex* ipsa promulgata, verba decem, Decalogus, *מצוות פראעפּטא*, vulgo Lex moralis, *Legis* ubique nomine veniens, exigens in praeceptis ipsis obedientiam, et adaequatam, qualem in foedere *Operum*, cum sanctione et tacita, et expressa, ad gignendam conscientiam peccati et reatus; sed et ducens quoque ex Foedere *Euangelico* ad fidem in *Iehouam*, vt *Deum suum*, ad spem *miseri-cordiae*, ad desiderium *Mediatoris*, hinc ad fidei *fructum*, sanctimoniam et charitatem. Decalogum autem mox exceperunt *משפטים iudicia*, et *חוקים statuta*, Leges nempe Politicae et Ceremoniales, datae repetitis vicibus, per Mosem, et haec quoque manufacturae ad Christum. De quibus Theologi plenius.

Insunt nonnulla huic vsus descriptioni, quam de lege morali et legibus politicis atque ceremonialibus dedit Noster, quae si tempora Vet. Test. spectes, aut plane non valent, aut multa saltem cum limitatione, ob erroneum scilicet illorum hominum qui ante Christum vixerunt de Messia opinionem. *V.*

8. *Modus* promulgationis, ore primum, tum *scripto* seu *tabulis lapideis*, duritiei*) humani cordis arguendae; quae et *tabulae Foederis*, externa specie *Legalis*, quoad prae-

praecepta et sanctionem, sine et scopo *Euangelici* eiusdemque cum Abrahamico.

*) Itane etiam statuæ illæ in Iordano positæ fuerunt lapideæ ut arguerent duritiem cordis Israelitarum? *V.*

Exaratae autem hæc Tabulæ *digito* vel manu *Dei*, seu mediate, seu immediate, *Exod. XXIV. 12. XXXI. 18.* scriptæ hinc inde a dextris et sinistris, et claudi aptæ, mox autem ab aureo Vitulo contractæ, aggravando delicto, sed eadem *Dei* manu quoad Scripturam restituendæ, *Exod. XXXII. 19. XXXIV. 1.*

Quid sibi velint verba, *tabulae manu Dei exaratae*, non adeo difficile est dictu. Sensu metaphorico ea esse intelligenda vix operæ pretium esse videtur multis verbis probare, cum huius generis dictiones in *V. T.* ubiuis fere reperiantur. Si ex genio linguæ hebraeae explicetur hæc phrasis, nihil aliud hoc quidem in loco significat, quam quod aut dictauerit Deus Mose, aut, quod fere idem est, tabulis ea inscribere iusserit. Etenim plane non differt apud Hebraeos, siue dicas, *manu vel digito Dei esse aliquid scriptum*, siue *a Deo esse aliquid scriptum*. Ratio autem cur Moses hac phrasi usus sit, aut in eo mihi quidem posita esse videtur, quod neque ipse, neque alii isto tempore alio modo, quam supra indicaui, intellexerint, aut si Israelitæ ea magis ad litteram intellexerunt, vel sic intelligere debuerunt, id sane non sine sapientissimo consilio factum esse statuum est, quod hunc in modum sit locutus Moses; adaugere scilicet tunc voluisset eorum in has leges reuerentiam, cuius generis similia exempla ex *V. T.* historia, si necesse esset, multa proferri possent. *V.*

9. *Consequentia* promulgati Decalogi, ut sunt partim facta, partim praecepta alia Ceremonialia, Politica, quæ describit Moses, *Exod. XX. 18* et seq. capit.

10. *Repetitio* Decalogi, paucissimis forte immutatis, ad præceptum IV. et X. *Deut. V. 14. 18.* facta anno ab
Exi-

Exitu XL. cum repetitionibus aliis in Deuteronomio, ad homines novos.

II. Mittimus vero fabulas Iudaeorum, quibus modus nullus est, vt de creatione *Tabularum*, harumque *materia*, de *Scriptura* Legis, de *Misna* seu Lege *orali*, de *Cabbala*, de *Talmude*, de *hora* latae Legis, de Mose quadraginta diebus legente de die in *Mikra*, nocte autem in *Misna*, etc. De quibus in *Pirke R. Eliezer*, et Commentationibus Magistrorum. Sanior Iosephus, a scripta Historia decedere nefas ducens, *Antiq.* lib. III. cap. IV.

IV. Historia reliqua Peregrinationis Israelitarum in Deserto.

I. Porro ex Sacris plenissime constat historia totius Peregrinationis Israelitarum in Deserto, per annos XL. Iosepho Historico subinde illustrante *Antiquit.* lib. III. et IV. et ad Mosem Commentatoribus.

Eo spectant repetiti Mosi ad Deum adscensus, quorum vltimus, *Exod.* XXXIV. 2.

Constructio Tabernaculi instar Templi portatilis, Arcae Foederis, Mensae, Candelabri, Altarium, etc.

Institutio sacerdotii Aaronici, cum annexis Ceremoniis.

Frequentia Populi murmura, et in Mosem seditiones.

Vituli aurei fabricatio, nec *mugientis* tamen vel *sal-tantis*, vt lepide Magistri. Sed et cultus Vituli, id est veri Dei in Vitulo, tanquam in symbolo. *Neh.* IX. 19.

Confractio Tabularum, arguendae infractiioni foederis, hinc Dei in Populum animaduersiones, Mosi preces, intercessio etc.

Israelitarum cum Amalekitis, Amorraeis, Madianitis, et vicinis Gentibus certamina, victoriae, clades.

Miraculosa Dei erga Populum clementia, etiam Providentia.

Historiae variae, vt Serpentis aenei, Corachi, Bileami, Exploratorum, mortis Aaronis et filiorum, Sichonis et Oggi Amorraeorum, etc.

Iteratus census Populi per Mosem actus, ab anno aetat. XX. *Num.* XXVI. 2. in congruam mox distributionem Terrae.

Repetitio Legum praecipuarum descripta in Deuteronomio, paucis additis.

Foederis cum Israelitis renouatio in terra Moab, *Deut.* XXXIX. et seq.

Mosis denique nouissima, cuius incidit obitus in diem VII. Mensis XII. anni ab egressu XL. *Deut.* XXXIV. 7. Quem obitum exceperunt dies XXX. iustus, *vers.* 8. sepulchro Mosis in hunc diem ignoto, non vnā ob causam, praeterquam quod constat sepultum in valle Moab, *vers.* 6. missis rursus fabulis Magistrorum.

II. Longe vero prolixior Moses in recensendis quae priori *biennio* gesta, contractior in historia XXXVIII. annorum, praeterquam a mense *undecimo* anni postremi. De interuallo illo fatentur Hebraei, se ignorare quid eo contigerit.

Mansiones fuere seu castrametationes, ad Iordanem vsque numero XLII. recensitae *Num.* XXXIII.

III. In ea autem peregrinatione vniuersa, cum innumera alia obseruantur prodigia, tum quatuor imprimis insigniora miracula, *Deut.* VIII. 3. 4. XXIX. 5. 6. *Nehem.* IX. 21. Primum fuit tantae multitudinis, in vastissima Ere-
mo, miraculosa *alimentatio*, per annos XL. ratione cibi et potus: Alterum, conseruatio *vestium*, ne longissimo vsu veterascerent, aut lacerae ac detritae corpora denudarent: Tertium, *pedum* roboratio, ac sustentatio *corporum*, ne vel illi intumescerent molestissimis itineribus, aut ista laboribus frangerentur: Quartum denique, *viae* inter auia praemonstratio, noctu et interdiu, stipatio Angelica, praesentia Numinis, et quasi *σκήνωσις* inter Israelitas, tot signis et portentis conspicua.

Ex

AD HISTORIAM VET. TEST.

*Ex Deut. VIII. 4. et XXIX. 5. miraculosa vestium conseruatio colligi non potest, cum Deus non soleat miracula patrare, nisi ubi natura deficit. At uero Israelitae greges habuerunt in deserto, ut patet ex Num. VII. et IX, unde tegumenta et vestes sibi conficere poterant. Sed prouidam Numinis curam hisce uerbis Moses iis ante oculos ponit, tantam nimirum iis fuisse uestium copiam in Arabicis solitudinibus, ut non magis opus fuisset, eas tritas et longo usu lace-
ratas geri, quam si uixissent in agris fertilissimis.*

V. Scriptio Librorum *ἑκταβύτων*, et primo Pentateuchi Mosaici.

I. Haec institutio Ecclesiae *ἑγχεσος*, uina uoce, et apparitionibus diuinis, *Gen. XVIII. 19.* deinceps uero *ἑγχεσος*, consignante primum Mose tum quae ad rerum *Origines*, et *Historiam* Ecclesiae, tum quae ad *fidem* et ad *mores* spectarent. *Ex. XVII. 14. XXIV. 4 7. XXXIV. 27. Deut. XXXI. 9. 10. etc.*

II. *Scriptorem* fuisse *Mosem* Librorum quinque, (qui hinc dicti *Moses*, *Pentateuchus*, *Lex*, חומש תורה *quinque quintae partes Legis*), et *Scriptorem* fuisse inter *Canonicos primum*, constantissima, ut *Prophetarum* totiusque *Historiae V. T.* ut *Versionum antiquarum*, maxime *ῥων LXX.* ut *Berosi*, *Abydeni*, *Eupolemi*, *Polzhistoris*, *Diodori*, *Iustini* etc. Ut *Christi*, ut *Apostolorum*, sic *Samaritanorum* iuxta et *Hebraeorum* omnium, ante et post *Christum*, nec non *Christianorum* ueterum consensione, in *confesso* haecenus fuit; neque *negantibus* uel *Appione Alexandrino*, uel *Celfo Epicuraeo*, *Luciano*, *Porphyrio* etc.

Minus negauit in *Magistris Ahen-Ezra*, quamquam nonnulla seu a *Iosua*, seu ab aliis inserta uelit *Genesi*, et *Deuteronomio*, quae *Mosis* mortem exceperunt, ut ad huius *Libri calcem*, et alias eius in *Commentariis* uidere est.

III. Im-

III. Imperite vero et temerarie, Aduersarius nuperus Mosis et Prophetarum, Satyrae suae in Scripturas, *Ben. Spinoza in Tract. theologico polit. cap. VIII.*

1. *Aben Ezram* ex Magistris inducit, vt suae sententiae de recentissimo Pentateuchi scriptore auctorem :

2. Ex addita ab alio quam Mose seu *calce* Deuteronomii, seu *parenthesi* vna aut altera, vt *Exod. XVI. 35. Deut. III. 14.* vel ex mutatione nominis obsoleti in recentius, vt *Gen. XIV. 14.* colligit inde totum Pentateuchum Mosis non esse :

3. Supponit non quadrare in Mosis tempus, nec in Mosem Scriptorem, quod omnino, v. gr. *Praefationem* Deuteronomii, *Deut. I. 1.* aut verba *Genes XII. 6.* aut Historiam de Ogi lecto, *Deut. III. 16.* aut mentionem *Regis* in Israele, *Genes XXXI. 31.* etc. Pessima vbique interpretatione Textus :

4. Confundit partem Scriptionis cum toto, et ex *Libro Legis* a Mose conscripto, ac Populo praelegendo, *Deut. XXXI. 9. 11.* qui scilicet *praecepta* contineret, repetita in Deuteronomio, vel ex *Cantici scripti* mentione *Deuteron. XXXI. 19.* absurde infert nihil praeterea a Mose fuisse literis mandatum, nec *historiam* rerum gestarum, contra quam *Exod. XVII. 14.* etc.

5. Infert quoque Mosis non esse, quae in Pentateucho passim de Mose in *tertia persona* efferuntur, aut quae aliquod Mose *testimonium* perhibent, *Deuter. XXXIII. 1.* ignarus vtrumque familiare Prophetis, et *Viris Dei.*

6. Ex repetitione Decalogi, *Deut. V.* et nonnulla variatione in praeceptis *IV.* et *X* colligit alium Scriptorem esse huius Decalogi, ac prioris *Exodi* cap. *XX.* esseque (vt suspicatur) Esdras posterioris auctorem.

7. Quicquid est Historiae Sacrae, inde a *Genesi*, conscriptum omne esse hariolatur ab vno auctore, pridem a tempore solutae Captiuitatis, vt adeo *Mosaicos* libros ignorarint Prophetae omnes, Dauid, Salomo, Successores, Esdras quoque, Nehemias, Samaritani veteres, gens omnis primaeua Iudaeorum.

8. In.

8. Infert adeoque a Pharizaeis vel a Sadducaeis deceptos Christum et Apostolos, dum Mosem in Genesi, Exodo, Leuitico, etc. haec et illa *scripsisse* docuerunt, ac meminere *librorum* Moſis.

Nec aliter iste de scriptis reliquis Vet. Testam. quorum ipsi nonnulla demum paulo ante Christum nata sunt, vt modum audaciae nullum figeret. Sed non hic prolixiori refutationi locus, nec profecto operae pretium est, quod duxit tamen Doctiff. *Huetius Demonstrat. Euang. Propos. 4.*

IV. Scriptionis vero Mosaicae obseruantur

1. *Tempus*, et *Locus* in Deserto scilicet, post uocationem, quicquid de *Genesi*, vt in Madianitide scripta, Iosephus, Philo, Hebraei.

2. *Ordo* historicus, *Geneſeos* Libro complexo res, ab Orbe Cond. ad Iosephi Excessum, annorum secundum Hebraeos Codd. MMCCCLXVIII.

Libro *Exodi* complexo res a Iosephi excessu ad erectum Tabernaculum, anno *uno* integro post Exitum, *Exod. XL. 1. 17.*

Libro *Leuitici* complexo historiam *mensis* vnius, *Exod. XL. 17. Leuit. I. 1. Num. I. 1.*

Libro *Numerorum* complexo res gestas annorum fere XXXIX. *Num. I. 1.* collato cum *Deut. I. 3.*

Libro denique *Deuteronomii* complexo historiam mensis 1. et dierum aliquot, ad eum qui Moſi fatalis fuit, *Deuter. XXXIV. 5.* Iosepho Historico arbitrato ipsam quoque Viri mortem, per anticipationem, a Moſe ipſo conscriptam, *Antiq. I. IV. c. vlt.*

V. Fruſtra vero scriptis Mosaicis accensetur *Liber Iobi*, conscriptus scilicet in Madianitide, erigendis tanto exemplo Israelitis, durissima seruitute pressis, vt ex Hebraeis pridem Pseudo-Origenes, Augustinus, etc. ac plerique recentiorum.

Sed Moſis non esse, inuictis argumentis a nobis demonstratum, Historiae Iobi *cap. XVI.*

VI. Mosis apud Gentiles fama, Aegyptios, Phoenices, Arabes, Graecos, Latinos.

I. Tot tantorumque perpetrator Mofes, nec in occulto, sed in luce hominum, apud Aegyptios et Arabes primo, tum et apud reliquas Gentes ita inclaruit, vt aliis *Deus*, aliis *Cacodaemon*, aliis *Magus*, aliis *Propheta*, aliis prudens *Legislator*, habitus fuerit.

II. Hinc variis sub nominibus celebratus, *Mercurii* Aegyptii, *Osiridis* Arabici, *Bacchi* Indici seu *Dionysii*, etiam *Typhonis* a quo Aegyptiis mala omnia; sic Mofes *Musaeus* Graecis appellatus affini nomine. An vero ad Mosem efficii sint, Latinorum *Romulus*, Atheniensium *Cecrops* aut Cretensium *Minos*, vt ingeniose Huetius, maior sane est ambigendi ratio. De quibus Vossii, Bocharti, Dickinsoni, Huetii etc. consulantur.

Ne dicamus Arabum de Mose fabulas, collectas a Clariss. Hottingero, ab Henningio Hofstato, et aliis.

III. De Mose quoque plurima in Chaldaeis, Aegyptiis, Graecis Scriptoribus, Berofus, Manethos, Diodorus Sic. Apion Grammat. Strabo, Artapanus, Eupolemus, Polyhistor apud Eusebium *Praepar.* lib. VIII. IX. ex Latinis Iuuenalis, Tacitus, Plinius, Iustinus, Appuleius, etc.

VII. Iosuae post Mosem gesta, et Historia.

I. Mose sublato successit in Principatum *Iosua*, Ἰησοῦς Graecis, diuinitus designatus, Eleazare summo Pontifice, *Num.* XXVII. 18. *Deut.* XXXIV. 9. *Ios.* I. 2. Huius auspicii cum memorabilia innumera gesta, de quibus Liber Iosuae, et ad eum Interpretes, item Iosephus *Antiq.* I. V. c. I. tum imprimis tria ista, Transitus Iordanis, Terrae Occupatio, ac eiusdem Distributio.

II. *Transitus Iordanis*, seu introductionis in Cananaeam, obseruantur

1. *Tempus*, dies X. primi mensis Sacri, seu Paschalis, *Ios.* IV. 19. inchoantis annum *XLI.* ab Exitu, postquam

quam XXX. dies luxissent Mosem, missi essent exploratores Hierichuntem, et tridua antecessisset de Iordanis ripam praeparatio, *Iof. II. III. i.*

2. *Modus*, recedentibus miraculose aquis Iordanis, ad praesentiam Arcae in medio fluvio a Sacerdotibus sustentatae, donec Tribus singulae sicco pede superassent oppositam ripam, deinde Sacerdotes XII. lapidibus inibi erectis ad perpetuam rei memoriam *Iof. IV.*

3. *Consequentia* proxima illius Transitus, videl. Cananaeorum omnium terror, Populi in deserto nati neglecta ante, nunc repetita, hinc *secunda*, (post Aegyptiacam) Circumcisio, Paschatis celebratio die mox XIV. eiusdem mensis, Manna cessans, et succedens panis die XVI. seu secundo Azymorum, etc. *Iof. V. 1. 2. etc.*

III. Ad *Terram occupatam* spectant,

Belli denunciatio, data (secundum Talmudistas) per Iosiam optione, ut vel *aufugerent*, vel in *foedus* venirent, vel *bello* experirentur, in Gemara Hierosol. ad Tit. שביעיר, cap. VI.

Obsidiones et expugnationes Urbium, et praecipue illa Hierichuntis, *Iof. VI.* multis circumstantiis insignis.

Historia Rahabae, seu cauponariae seu meretricis, eiusque fides, nondum viro iunctae, qui *Salmon* postea; *Matth. I. 5.*

Achani sacrilegium, qui *Axaxos* Iosepho, et eiusdem poena, *Iof. VII.*

Gabaonitarum fraus, cum iis foedus, addictio in seruitutem. *Iof. IX.*

Bella cum v. Regibus, Emorraeorum aliisque Gentibus Cananaeis, ac victoriae mirabiles, *Iof. X. XI. XII.*

Grando lapideus seu instar lapidum in hostem, Solis statio, seu diei prolongatio*), promouendae victoriae, etc. *Iof. X.* et quae plura in Sacrae Historiae contextu expressa leguntur.

a) Admodum probabilis est sententia clericorum quam *Iof. 10. 12.* exposuit. Putavit nimirum, diei pro-

prolongationem factam esse extraordinario quodam lumine, quod illic speciem ac vicem Solis et Lunae prae-buerit. *V.*

Nec tamen Palaestina vniuersa occupata per Iosuum fuit, ab eius morte factis expeditionibus v. gr. Tribus Iudae, *Iud.* i. 8. 9. etc. Danis, *Iud.* XVIII. pro residuo sortis suae occupando. Vt omnino sit *πρόληψις* v. gr. *Ios.* XV. 63. XIX. 47. et *ὕφεσις* in historia *Iudic.* XVII. XV. II.

Destructae vero Gentes VII. recensentur, *Deuter.* VII. i. *Ios.* XXIV. 11. *Hettæi*, *Amorraei*, *Gergesæi*, *Chananaei*, *Pherezæi*, *Heuæi*, *Iebusæi* omittis *Kenæis*, *Kenizæis*, *Kadmonæis*, *Rephaim*, de quibus *Genes.* XV. 19. 20. et additis *Heuæis*, prout ab Abrahami tempore permisceri hae Gentes, et mutare appellationem potuerunt.

IV. *Distributionis* circumstantiae memorabiliores sunt,

Quod incidit in annum VII. ab ingressu in Cananaeam, eundemque Sabbathicum primum, magna Terrae parte adhuc occupanda, *Ios.* XIII. i. et seq.

Quod facta per *Iesum* vel *Iosuum*, nomine et re Christi Seruatoris typum, *Hebr.* IV. 8.

Iosuum Christi fuisse typum, neque ex dicto loco Epist. ad Hebr. neque aliunde mihi quidem probari posse videtur. Nec certe video magnam similitudinem quae inter sit Christum inter et Iosuum. *V.*

Quod Gaditis, Rubenitis, et dimidia Tribui Manassis portio ultra Iordanem obtigerit, Mose assignante *Num.* XXXII. 13.

Quod Calebo in specie cederet terra Hebron, in Iudaeae montanis, vi Mosaici iureiurandi, *Num.* XIV. 24. *Ios.* XIV. 13. Vnde nomen *Hebron* in scriptis mosaicis substitutum loco antiqui nominis Kiriath Arbe.

Quod in possessionem primae mitterentur tres Tribus principes, Iudae, Ephraim, et Manassis.

Quod *sortibus* in Siloh (vrbe edita et peramoena situ, in forte Ephraim, in quam Tabernaculum translatum) iactis,

Etis, omnia distributa fuerint, euentu respondente praedictioni, *Gen. XLIX.*

Quod Leuitis assignatae Vrbes XLVIII. per omnes Tribus Israëlis. *Num. XXXV. Ios. XXI.* in quibus XIII. primae Sacerdotum esset, VI. autem ciuitates Refugii, praeter praerogatiuas alias Leuitis in stipendium concessas, vt *decimarum; primitiarum; primogenitorum, oblationum* quae ipsis cederent etc.

V. Reliqua ad excessum Iosuae, incertis quidem annis principatus, et ad excessum Eleazari summi Pontificis, Phinea successore, plana sunt ex *Iosuae* vltimis Capit.

V. gr. Iosuae oratio ad Tribus trans Iordanem dimittendas

Altaris per Rubenitas et Gaditas, non in cultum (vt putabatur) sed in monumentum erectio.

Iosuae extrema ad Populum verba, cum renouatione Foederis, eademque *scripta*, et volumini Legis adtexta, addito symbolo, *Ios. XXII. XXIII. XXIV. 25. 26.*

VIII. Phoenicum Colonia, tempore Iosuae. Origines variae Illustres.

Ad haec Iosuae Cananaeos, vel Phoenices, fugantis tempora, ac eorundem sedes innumerabili multitudine occupantis, referuntur magna consensione,

I. *Cadmi* Phoenicij, Sidonii an Heuaci, Phoenicia et origine nominis, in Graeciam et Boëtiam celebris profectio, cum amplissimis Phoenicum Coloniais, apud Herodotum, Diodorum Sic. Pausaniam etc. vbi primam dedit originem.

1. Graecorum *litteris*, quae hinc *Φοινικια* et *Καδμυνια γράμματα*. primitus ab Assyriis acceptae.

2. Graecorum non nullis *Gentibus*, quomodo Lacedaemonij gloriati se Hebraeorum fratres, communi patre Abrahamo *Maccab. XII. 21.* Phoenices forsitan habentes pro Hebraeis,

3. Graecorum innumeris *Vocibus, Diis, Fabulis*, hisce quidem natis ex relatione orali, cum primis eorum quae per Moſem et Iofuam geſta eſſent, aut quae caeteroquin accepiſſent de Iſraëliſtarum rebus. Et de his Scaliger, Seldenus, Voſſius, Bochartus, Dickenſonus, Huetius alii.

II. *Variae Phoenicum Coloniae*, tum quoque temporis ex Orientali litore, quin et ex Mari rubro, translatae in *Aſiam, Africam, Europam*, etiam in *Orbem ignotum*, navigationis qua primi excellere beneficio, motae ſeu terrore Iofuae, ſeu regionis ab Iſraëliſtis occupatae anguſtia, ac mercaturae quoque ſtudio. Quomodo pridem ante, Aegypto per *Paftores* occupata, Dynaſtia XV. XVI. XVII. (quos pro Iſraëliſtis Iofephus, Eufebius, etc. habuerunt) diſperſae fuerant Coloniae Aegyptiorum, ex *Diod. lib. i.* aliisque.

Vnde tot Phoeniciae *originis, linguae, religionis* antiquiſſima et certiffima veſtigia in quamplurimis Gentibus, per omnes Orbis plagas: De quibus prae caeteris Vir ſummus Sam. Bochartus, de *Coloniis Phoenicum*, et qui de *Originibus Americanis* commentati ſunt, Hornius, alii.

Multa tamen cautione opus eſt, ne in Geographia antiqua Etymologicis rationibus nimium tribuamus.

Conf. Celeb. I. D. Michaelis Spicilegium Geogr. Hebraeor. exterae poſt Bochartum. Goett. 1769.

IX. Status Eccleſiae ſub Iudicibus Iſraëlis.

Non fert vel inſtituti ratio, vel anguſtia intra quam eoerchemur, *hſtoriam Iudicum* perſequi vniuerſam. *Digniora*, hoc quidem in loco, obſervatu fuerint.

I. *Variae huius Epochae apud varios rationes*, inde a morte Iofuae ad initium Samuelis: Quorum alii annos *interregnorum, oppreſſionis, ſeruitutis* ſeorſim putant ab annis qui Iudicibus tribuuntur, mireque hanc Epocham extendunt Ioh. Gerh. Voſſius, Lud. Capellus, etc. alii et vere in annis Iudicum priores complectuntur.

Iubent

Incubent certe Aeram contrahere cum alia, tum locus
 1 Reg. VII. et historia Genealogiae Christi, ex qua *Salmon*,
 cui nupsit Rahab, intelligitur fuisse proavus *Iessae*, *Matth.*
 I. 5. 6. Vnde non ultra annos 300 putes a morte *Iosuae*
 ad initium *Heli*.

II. *Iudicum*, (qui et latiori appellatione *Regum* no-
 mine veniunt) imperium cum multis partibus a Regio di-
 stinctum, tum hisce cumprimis:

1. Quod extraordinarius hic Magistratus esset, vt
 Romanorum Dictatores.

2. Quod in his afflatus immediatus Spiritus, et motus
 heroici ac diuini, *Iud.* III. 9. 10. etc.

3. Quod successio in his non immediata, mediis saepe
 interregnis, seruitutibus, v. gr. inter Iosuum et Othonielem,
 (*Κεviceζον* Iosepho) inter Othonielem et Ehudum, etc.

4. Quod iidem diuino semper suffragio dati, *Iudic.*
 II. 18. non humanis titulis, successione, electione, iure bel-
 li etc.

5. Quod Regimen eorundem non tam humanum
 quam diuinum crederetur, *Iud.* VII. 18. 1 *Sam.* VIII. 7.

III. Ordinarius Magistratus penes Seniores Populi,
Nun. XI. 16. alias *Sanhedrin*, quod est apud Iosephum
συνεδριον, σύνοδος, γερουσία, vel *πρεσβυτηριον*, cuius
 obseruantur,

1. *Membra*, seniores LXX. vulgo crediti *sex* ex
 quaque Tribu, praeterquam *quatuor* ex illa *Leui*, reuera
 promissui.

2. *Praefes* supremus, ab his distinctus, vulgo *נשיא*
princeps Senatus, nec is necessario summus Pontifex, vt
 recte Seldenus, quicquid nuper Doctiss. Valefius Notis ad
Euseb. lib. I. cap. X.

3. *Auctoritas* suprema, quamdiu nulli Reges, in
 causis quibuscunque non *Ciuiilibus* modo, sed et *Eccle-*
siasticis; nequicquam aliis causas Ecclesiasticas v. gr. de
 ipso Pontifice, Lege, Excommunicatione, Pseudo-Pro-
 phe-

phetis ad solos Sacerdotes restringentibus, a quibus sane Iudex vel Iudices summi distincti, *Deut.* XVII. 12.

4. Consistoria *subalterna*, a quibus pronocaretur ad Sanhedrin, *Deut.* XVII. 8. alterum *Iudicum* XXIII. ad portas Ciuitatum maiorum, alterum *Iudicum* III. in minoribus locis, de quibus Seldenus, et qui de Republ. Hebraeorum commentati sunt.

IV. Corruptissima sub Iudicibus tempora, et cumprimis afflictus status vterque, *Politicus* et *Ecclesiasticus*. Docent, defectio mox a morte Iosuae, Calebi, et sodalium, ad Idololatricos cultus, *Ios.* XXIV. 18. *Iudic.* II. 7. 10. etc. Hinc promiscua cum Cananaeis coniugia; foederata; poenae diuinitus immissae; frequens seruitus, vexatio, oppressio, quarum *sexta* et maxime diurna fuit sub Samone; respicientia quandoque sed fucata, ad tempus, et momentanea; flagitia horrenda, caedes, stupra, adulteria, humanae victimae, ciuiles motus *cognataque bella*, passim in Historia Iudicum.

Causae afflictissimi status, praeter iusta et arcana Dei iudicia, fuere: Nona generatio succedens probatae in deserto; Excessus virorum auctoritate et pietate Illustrum; Interregna, seu *ἀναρχία*, Cohabitatio cum impiis Gentibus, hinc et cum infidelibus coniugia; Abusus diuinae *Χρησόμενος*, subducentis eos hostili iugo, reddentisque pacem, Aemulatio inter ipsas Tribus, hinc dissidia, bella, etc. *Iudic.* II. 5. 6. 10. 18. 19. VIII. 1. XII. 1. etc.

Hinc sceleribus responderunt Dei iudicia, et magnitudini corruptionis magnitudo calamitatum.

X. Historiae quaedam memorabiliores huius Epochae.

In caeteris dignae cumprimis obseruatu sunt Historiae frequentes:

I. Micae factum superstitiosum. *Iud.* XVII. hinc secuta ad huius exemplum *Danitarum* Idololatria, qui omnium primi a patria religione defecerunt. Tempus fuisse vide-

videtur proximum a morte Iosuae, durante interregno, *Iud.* XVII. 6. XVIII. 1. nec *ἱερολογίας* pauca indicia tum in Danitis nondum in possessionem missis *Iud.* XVIII. 1. tum in mentione Ionathani filii Gerfom. Narrantur autem istae post mortem Samsonis, ne Iudicum gesta interrumpantur.

II. Historia *Leuitae* et *pellicis* eiusdem, hinc belli civilis in Beniaminitas hac de causa excitati, *Iud.* XIX. XX. superstite adhuc *Phinea* sacerdote, *Iud.* XX. 28. Quem Scaliger, Seldenus, alii post Magistros ultra 300 annos natum fuisse putant, *ἱερολογία* quanquam Scriptoris evidente. Refert quoque Iosephus ad tempus quod Iosuae mortem excepit, *Antiq.* L. V. C. II.

III. Historia *Ruthae* nuptae Boazo, Rahabae ex Salomone filio, notata generali caractere temporis, *Ruth* I. 1. Quam male Iosephus *Antiq.* Lib. V. C. XI. et communiter Hebraei, atque ex iis Zonaras, etc. referunt ad aetatem *Heli*, vel *Abdonis*; nec felicius alii ad aetatem *Ebranis*, qui Iephtam excepit, quemque eundem cum *Boazo* censuerunt. Referenda verius ad anteriora Iudicum tempora, puta Gedeonis, aut Deborae, ob Rahabam, matrem, ut tamen grandaeuus esset Boaz Rutham sibi iuncturus, *Ruth* III. 10. quemadmodum et grandaeui admodum genuerunt huius filius et nepos, Obed et Iessa. De quo Parens hoster *Dub. Euang. Part. I. Dub. III.*

IV. Historiae *seruitutum* et *liberationum*, uti Assyriacae seruitutis, Moabiticae, *Iud.* III. Cananaeae, *Iud.* IV. Madianiticae, *Iud.* VI. Ammoniticae, *Iud.* X. Palaestinae seu Philistaeorum, omnium longissimae, *Iud.* XIII. liberatoribus Othoniele vel Cenizo, Ehudo vel Iode apud *Ioseph.* Debora et Baraco, Gedeone, Iephta, Samfone. De quibus Historia sacra, et Iosephus, *Antiq. Lib. V.*

V. Historiae intermediae memorabiliores, v. gr. *Abimelechi* illa, ex concubina Gedeonis nati, hinc ad successionem euecti non iure haereditatis, sed usurpatione, malis artibus, immani fratricidio, populari aura, conuertenda

mox in odium et infidias, in poenam sceleris, *Jud.* VIII. 31. IX. 5. 23. etc. *Ioseph.* L. V. C. IX.

Sic *Iephtae* illa, filiam, quam habuit vnicam, temerarii voti (sed quod irrenocabile intellexit) religione, post partam de Ammonitis victoriam, offerentis holocausto, *Jud.* XI. 31. etc. Quod docent forma voti, obiectum eisdem, executio respondens voto, Patris filiaeque cum facta tum verba, statutum in Israël pro anno *placitu*, vel annua *celebratione* Virginis, circumstantiae aliae Textus, et consensus omnium Versionum antiquarum, Fl. Iosephi, Hebraeorum veterum, Patrum, Eruditorum, etc. Praeter natam hinc *Iphigeniae*, quasi *Iephtigeniae* fabulam, de quibus fufus nostra hac de re Dissertatio.

*De voto Iephtae eiusque executione aliter statuimus. Temerarium fuisse votum et inconsideratum, nec Iephtam de filia et domesticis cogitasse, dum votum conciperet, lubentes concedimus. Eum vero filiam suam mactasse negamus 1. quia sacrificia humana in lege seuerissime exant interdicta. 2. Quodsi Iephtha ex nimia superstitione sese ad filiae caedem obligatum putasset, et omni humanitatis sensu excusso, immane illud sacrificium ipse non recusasset; sacerdotes tamen, cum ipsi non liceret holocaustum offerre, operam suam ipsi denegassent. Quin ipse populus tantum facinus prohibuisse censendus est, vt in casu Ionathanis haud prorsus absimili legimus *Sam.* XIV. 45. 3. Si his non obstantibus, Iephtha filiam suam immolasset; dubium non est, quin S. S. tam barbarum atque immane facinus damnasset, nec credere fas est, Deum permisisse, vt homo adeo nefarius ac detestandus munus Iudicis in Israël diutius administraret. 4. Neque verba textus ipsam immolationem arguunt.*

*Samsonis memorabilia, inter quae natiuitas miraculosa, Nazareatus, fortitudo, *Jud.* XIII. leo dilaceratus, suffocatus Iosepho, apes mellificantes, in cadauere leonis, haud*

haud dubie exsiccatō, *Iud.* XIV. 6. 8. trecentarum vulpium tota Iudaea venatio, tum copulatio mira; facinus recente asini duraque maxilla, *Iud.* XV. 4. 15. transportatio forium Gazae; cum postibus, in vicinum atque editum montem; apprehensio et concussio duarum, in medio aedificio, maiorum columnarum, *Iudic.* XVI. 3. 29. diuina plane virtute, nullo in omnibus vel absurdo vel impossibili, quicquid profani et nasotuli rideant.

Nec dubium quin dederint ista originem Graecorum fabulis de *Hercule Tyrio*, seu *Phoenicio*, cui gemina plane tribuuntur apud Mythologos, scil. vires, labores, leonis interfectio, claua, columnae, effoeminatio, somnus seu obliuio laborum etc. Vt haec pluribus obseruatum est Eruditis, et inter Commentatores Corn. a Lapide.

VI. Historia denique *Helii* Pontificis et Iudicis, de quo memorabilia pariter sunt,

Combinatus cum summo Pontificatu Principatus, a morte Samsonis; Genus non ex Eleazare primogenito Aaronis sed Ithamare, *Iosepho* teste in fine Libri V. Historia filiorum, paternae indulgentiae, et poenae, transferendo post sacerdotio in familiam aliam, *1 Sam.* II. III. IV. Praefectura per annos XL. *1 Sam.* IV. 18. quibus includuntur anni XX. non sequentes Samuelis (vt alii) sed anteriores Samsonis, *Iud.* XV. 20.

EPOCHA QUINTA

PRAEFECTURA SAMVELIS, TVM REGNO
SAVLIS, AD ROBOAMVM, SEV AD
DISTRACTIONEM REGNI.

I. Status Ecclesiae Israëliticae sub Samuele.

Hae summam spectant
I. *Corruptio* eorum temporum summa, qualem
restantur

i. Im-

I. Impietas *Sacerdotum*, quorum esset praecire exemplo, maxime illa filiorum Heli, peccantium partim *sacrilégio*, 1 *Sam.* II. 13. 14. cum *Lev.* VII. 31. 35. partim effraena *libidine*, et promiscuis adulteriis, etiam in loco sacro, 1 *Sam.* II. 22. partim inobedientia in Patrem, 1 *Sam.* II. 25.

2. Idololatria *Populi*, et diutina quidem, ac cultus *Baalim*, et *Astaroth*, Numinum seu Idolorum utriusque sexus, apud Sidonios et Philistaeos, exprobrante Samuele, et Populum ad poenitentiam agente, 1 *Sam.* VII. 1. 2. 3.

II. *Calamitas* Ecclesiae Israeliticae, et afflictissimus status: Patet is 1. Ex clade Israelitis per Philistaeos illata, 1 *Sam.* IV. 10. 2. Ex captura Arcae qui Palladium Iudaeae Gentis, IV. 11.

III. *Arcae* historia, cuius sedes ordinaria, vti Tabernaculi, inde a tempore Iosuae, totis saeculis III. cum dimidio, fuerat Schilo, *Ios.* XVIII. 1.

Inde vero, temerario et superstitioso instituto, ex Tabernaculo delata in Castra Israelitarum, 1 *Sam.* IV. 3. 4. Mox a Philistaeis intercepta, et septem menses apud eos retenta, non sine poena sacrilegii, 1 *Sam.* VI. 1. ac tandem quoque restituta, et translata in *Kiriath jearim*, civitatem Iudaeae, vbi totos annos XL. reposita fuisse videtur, ad Davidis tempora, 1 *Sam.* VII. 2. 2 *Sam.* VI. 2. 3. 1 *Chron.* XV. 1.

Eo spectat poena diuinitus illata in profanatores Arcae, 1. In *Philistaeos*, diuinitus foedo ulcere percussos, in foedissima corporis parte, 1 *Sam.* V. 6. 9. 12. addentibus Graecis Codd. plagam murium et famis, ac Iosepho *Anzig.* Lib. VI. C. I. Cui in remedium appenderunt Philisthaei, muneris loco, imagines *murium* et *mariscarum*, ad latus Arcae. 2. In *Bethsemitas*, ex tribu Iudaeae, quorum vulgo percussi leguntur L. mille et LXX. secundum Iosephum vero Lib. VI. C. II. nonnisi LXX. adeoque quinquaginta ex millenis; de quo et Bochartus, *Hist. Anim.* P. I. Lib. II. C. XXXVI. *Conf. quae Celeb. Kennicottus de hisce numeris in peculiari Diss. scripsit, cuius verso germ.*

germ. exstat in Britisch. Theolog. Magazin Vol. I. P. 1. P. 1-30. et P. 3. p. 41 seq. Kennicotti *libello Doctiff.* Hassencampius *alium opposuit*; Erinnerungen gegen die von Herrn D. Kennicott herausgegebenen Anmerkungen über 1 Sam. VI. 19. *in quo hunc locum sic vertit*: Percussit autem ex viris Bethsemitis, quia inspexerunt arcam Iehouae, et percussit. ex populo septuaginta, quintum ex familia viri (seu vnaquaque.) *Nimirum pro* חמשי מאתך ארץ ארץ *legit* חמשי מאתך ארץ ארץ.

IV. Instauratione Ecclesiae per *Samuelem*, diuinitus natum et excitatum, *Leuitam* primum et *Sacerdotem*, tum *Prophetam* Dei ad Populum, diuinae voluntatis interpretem, 1 Sam. III. 20. mox *Iudicem* et assertorem, 1 Sam. VII. 6. 1 *Chron.* IX. 22. creditum iam praefuisse annos XX. tempore solennis poenitentiae, 1 Sam. VII. 2. nec deinceps quoque abiecta Reip. cura etiam post imminutam auctoritatem, quum admotus esset ad regnum Saul, 1 Sam. VII. 15.

Vnde Samuelis et Saulis combinatio, 1 Sam. XI. 7. vti in calculo Paulino, annis *quadraginta* vtriusque regimini adscriptis, *Act.* XIII. 21.

II. Regiae dignitatis natales. Ius Regium in Israele.

Huc cum primis referenda,

I. *Occasio* flagitandi communi consensione Regem, saltem praetextus et obtentus, qui fuit Samuelis ingravescens aetas, et degeneres filii, 1 Sam. VIII. 5. Ast verissimae *causae*, hinc nata Dei indignatio et Samuelis, fuerunt, studium nonitatis; aemulatio profanarum Gentium; Ammonitici per Nahasum belli metus 1 Sam. XI. 1. XII. 12. dissidentia in liberatorem haecenus Deum; obliuio rerum per Iudices miraculose gestarum, etc.

II. Ornatus primum *Regio* titulo et axiomate *Saul*, ex tribu Benjamin, forma praestanti, aetate iam adulta, (vt colligitur ex Ionathane filio, 1 Sam. XIII. 2. et ex aetate

Isbo-

Isbofethi 2 *Sam.* II. 10.) mox reprobandus, translata dignitate ad Dauidem et familiam eius.

Non ita certi vero anni administrati a Saule Regni, male intra *biennium* arcantibus Interpretibus, ex male intellecto loco 1 *Sam.* XIII. 1. qui locus agit de biennio ante oppressionem Philistaeorum, 1 *Sam.* XIII. 6. 19. vel ante reiectionem Saulis 1 *Sam.* XV. 28. *) Iosephus in fine Libri VI. tribuit regno Saulis annos XL. et ita Augustinus, alii, quibus tamen includendi anni Samuelis, ante Saulis principatum.

*) *Nisi forte rectius statuatur, numerum annorum regni a Saule administrati omissum esse, 1 Sam. XIII. 1. Conf. Heinii Diff. sacr. p. 148. seq.*

III. *Ius Regium* a Samuele descriptum, et regnandi praecepta, Libro coram Arca collocato, 1 *Sam.* X. 25. Praediſto ante *abusu* iuris Regii, vertendi quandoque ex ordinato in absolutum, ex dominio in tyrannidem, ex potestate in licentiam, 1 *Sam.* VIII. 11. et seq.

Summa utique fuit Regi potestas, et subordinato Deo soli, ut circa *Ciilia*, sic et *Ecclesiastica*. In utrisque norma regiminis Dei Verbum *Deut.* XVII. 19. *Iof.* I. 8. In facrorum vero cura admittendum consilium Sacerdotum *Num.* XXVII. 21. 2 *Chron.* XIX. 11. *Mal.* II. 7. qui et a Syndrio M. consulti.

Nec Regias partes circa Ecclesiastica, tam *res* quam *personas*, vertere in dubium sinunt cum alia; tum historiae Davidis, Salomonis, Aſae, Iosaphati, Ioasi, Ezechiae, Iosiae, et quoque Manassis, 2 *Chron.* XXXIII. 16. Ut tamen formales partes *Imperii* et *Sacerdotii* distinctae manferint, vel Oziae exemplo, 2 *Chron.* XXVI. 19.

IV. *Inauguratio* Regis, ad quam spectat *Liber* Legis traditus Regi in augurando ex praescripto Moſis; tum et *unctio* unde *uncti Domini*, Dauide rege ter uncto 1 *Sam.* XVI. 13. 2 *Sam.* II. 4. V. 3. non vno tamen discrimine inter unctionem Regum et Pontificum; etiam *osculum* ad.

adplicatum, qualiter 1 *Sam. X. i.* reuerentiae signum, et voti; etiam *acclamatio* popularis, qualis 1 *Sam. X. 24.*

Osculum in Regis inauguratione semper esse adplicatum, ex loco 1 *Sam. X. i.* non potest probari. Quod enim Saulem osculatus sit Samuel, id non efficit vt ideo statuamus, in omnium reliquorum Regum inauguratione hoc esse factum. Male huc ab aliis adferri solet *Pf. II. 12.* vt idem probetur, ibi enim $\rho\omega\varsigma$ non *osculari* sed *adhaerere* significat. *V.*

III. Status Ecclesiae sub Saule, Dauide, et Salomone.

I. Quae fuerit *Ecclesiae* sub primis Regibus, qui toti Israëli imperarunt, conditio, prolixè ex utroque Libro Samuelis, ex primo Regum, ad *Cap. XII. ex i.* et *II. Chronicorum ad Cap. XI. ex Fl. Iosepho. Antiq. Libris VI. VII. et initio VIII. et ex Commentatoribus passim, discere licet.*

II. Ex historia *Saulis*, intelligitur, quibus illa sub eo bellis vexata, per Ammonitas, Amalekitas, Philistaeos, et in quae discrimina adducta; *Dauide* liberationis miraculo instrumento; *Samuele* sacris dum vixit inuigilante; *Saule* tandem reprobato, et ad desperationem, hinc ad necem actò, 1 *Sam. XXVIII.* Reprobationis occasio proxima, peccatum tum auaritiae circa gregem Amalekitarum tum hypocriseos, pietatis vano obtentu, 1 *Sam. XV.*

III. Ex historia *Dauidis* (primum ad Iudae regnum, 2 *Sam. II. 4.* anno aetatis XXX. septennio post ad Israëlis illud euecti, 2 *Sam. V. 4. 5.*) intelligitur:

Vt variis ille casibus exercitus fuerit, ante quam Regno potiretur;

Vt coeptam a Samuele *instaurationem* Ecclesiae, quoad Doctrinam, Cultum, Regimen, Ordinem, Ritus, idem successiue perfecit; 1 *Chron. XIII. XXIV. XXIX. etc.*

Vt Rempublicam, protensam limitibus variis illi tributariis Regibus, tandem *pacatam* rexit, non sine domesticis calamitatibus;

Vt

Vt *Propheticum* munus, eius in persona, Regiae sociatum fuerit dignitati; vel ex *Psalms*.

Vt sedem *Sion*e collocauerit, Iebusaeis inde tandem expulsis, et Arca Domini eo transferri iussa, 2 *Sam. V. VI.*

Vt structuram *Templi* molitus sit, Successori diuinitus (relictis a Dauide immensis opibus) destinatum;

Vt varia cum eximiae *pietatis*, supra Reges omnes, tum et humanae *infirmitatis* specimina dederit;

Vt exercitae fidei infandis calamitatibus, et fortitudinis aeternum exemplum euaserit, in multis Messiae *Typus*;

Vt *Salomonem* successorem designauerit, se uiuo ad regnum assumptum, 1 *Reg. I. II.*

Vt extremis *uerbis*, 2 *Sam. XXIII.* 1 *Reg. II.* in quibus et *Psalms* accensendus LXXI. pietatem probauerit, etiam *factis* circa res sacras, 1 *Chron. XXIII.* et seq.

Vt Deo efflaturus animam cum alia pia Filio commiserit, tum supplicium sumendum de Ioabo et Simchi, non immemor iuramenti 2 *Sam. XIX. 23.*

Indolem Dauidis optime illustrauit Sam. Chandler *peculiaris libro, cui tit. A critical history of the life of David.* Lond. 1766. 2 Vol.

IV. Ex historia *Salomonis*, (non sane *duodecennis*, ut Magistri uolunt, et ex iis Hieronymus, sed adultiori aetate ad regnum admoti, 1 *Reg. II. 9. pueri* tamen morali sensu, 1 *Reg. III. 7.*) intelligitur:

Vt idem Salomo quemadmodum sapientia, sic diuitiis, et felicitate transcenderit humanam sortem, 1 *Reg. III. 9. 12.* IV. 29. etc.

Vt nulla unquam laetiora aut pacatiora adspexerit Ecclesia tempora;

Vt collectis immensis opibus *Templum* primo, tum *Regiam*, admirandis mox operibus, struxerit;

Vt ex Terrae extremis, vel ex Austro, seu Australi Arabia, uel Sabea aromatifera (Iosephus uult ex Aethiopia) gentis eius *Regina* ad Salomonem accesserit, 1 *Reg. X.* 2 *Chron. IX.* de qua *Fabulae* non paucae;

Vt

Vt vergente Salomonis ad finem regno, corrumpi Religio, et interpolari *Idololatria* coeperit, inducto ad hanc sapientissimo Rege per mulieres Aegyptias, Sidonias, Tyrias, Ammonitidas, Idumaeas, etc. i *Reg. XI.* et seq.

De Salomonis *Aedificiis, Scriptis, Poenitentia* seorsum pauca.

IV. Structura Templi Salomonici, eiusdem Gloria. Structurae aliae. Ophireae classes.

I. Non felicius intelligitur tanti Operis gloria, quam si diligentius attendantur, quae hic modo indicamus.

1. *Praeparatio* ad structuram, tum respectu *opum*, quae supra hominum fidem, seu a Dauide relictae, in Templi apparatus i *Chron. XXII. XXIX.* seu a Salomone adiectae ad structuram ipsam; tum respectu *materiarum* omnis generis, quae in antecessum praeparatae, etiam quo ad formam conuenientem, i *Reg. V. 18. VI. 7.*

2. *Tempus* tum iactorum *fundamentorum* Templi, anno Salomonis IV. mense secundo, ab Exitu ex Aegypto annis CCCCLXXX. i *Reg. VI. 1.* memorabili numero, pro quo male Iosephus habet DXCII. tum *absoluti* tanti Operis, septennii spatio, cum VI. mensibus, i *Reg. VI. 38.*

3. *Locus* structurae editissimus, in fastigio montis *Moriae*, in area Hornam Iebusaei, medio hoc monte inter Sionem ad Austrum, et Aeram ad Occasum et Septentr. ipsomet ad Ortum posito. Complanata in summo quadrangularis area, quam ambibant facta per gradus descensu, septem interius et exterius, ac porticus exteriores quadrilaterae; totum autem montem murus excelsus, ab ima valle ductus, circumdabat. Media profunda vallis inter hunc montem et Regiam Salomonis, quae illi ad austrum, sed mirandi operis ponte praebituro facilem transitum e Regia in Templum.

4. *Opifices*, ex Iudaeis et Gentibus, eo fere numero cum *Praepositis* suis, vt vel hinc maxime constet cum Salomonis potentia, et opulentia, tum *Aedificii* magnitudo

et gloria, 1 *Reg.* V. 13. et seq. 2 *Chron.* II. 2. etc. Praeter seruos Hiram, qui referuntur *octoginta mille* Tyrii, addunturque totidem Aegyptii: De quibus Villalpandus, *Tom.* II. *P.* II. *Lib.* V. *Disp.* II. C. XXXVII. sed vt in aliis, sic in hac supputatione reprehensus a Lud. Capello. Hic enim in vniuersum tantum CLXXX. mille operarios putat, subdistributos in Israëlitas et Peregrinos, onerarios, lignarios, latomas.

5. *Materia* Templi, qualis *Lapides* exquisitissimi, et ingentis molis, ex Pario marmore, vt pauimenta ex lapide porphyrio etc. *Ligna* pretiosissima, auro vndequaue obducta, et aureis clauis infixae; *Aurum* purissimum et Ophiraeum, *Paruajim*, 2 *Chron.* III. 6. vbique intuentium oculis sese ingerens; *Argentum*, *Aes*, *Gemmae*, sine modo villo et sine.

6. *Forma* seu exterior Templi, seu interior, digna tanto Architecto, 1 *Reg.* VI. VII. 2 *Chron.* III. IV. Partes *interiores* duae ad formam Tabernaculi, *Sanctum* siue Templum, in quo Altare thymiamatis, Candelabrum, Mensa, longum XL, latum XX cubitos; et *Sanctum Sanctorum*, siue Oraculum, *Adytum*, pari latitudine et longitudine, XX cubitos. Eratque hoc *Muro* et *Velo* intermedio 2 *Chron.* III. 14. separatam a sancto, postea Aulaco tantum; obscurius etiam intrinsecus, sine fenestris, vt lucem solarem non admitteret.

His iterum pars *inferior*, alta XXX. cubitos, cui alia *superior* fuit, vt Hebraei tradunt, seu superstructae contignationes, in habitacula et receptacula varia; altitudine tota a parte anteriore seu Porticu vel Vestibulo CXX cubitorum, 2 *Chron.* III. 4. *Ioseph. Lib.* VIII. C. II. Quamquam magnopere intercedat Capellus, nullam proportionem huius altitudinis esse putans ad longitudinem, et latitudinem. Hinc Vestibulum Templi, seu Porticus, censet audacior coniectera altum non nisi cubitos XX et loco *מאה עשרים* *centum* et *viginti* cubitorum, 2 *Chron.* III. 4. legit *מאה עשרים* *viginti cubitorum*. Certum Porticum anterioro

teriolem latioreni fuisse ipsa Domo, vnde observatum *Leonis* figuram expressisse Templum. De qua 2 *Chron.* III. 4, et prolixè Villalpandus.

Partes *exteriorès* seu subdiales, fuerunt 1. Atrium *Sacerdotum* seu interius, in quo Altare holocaustorum, ad quod adscensus leuiter accliuus, mare aeneum, reliqua, quae ad vsum sacerdotum ac ministerium Leuitarum spectarent. 2. Atrium *Populi*, seu exterius, et magnum Virorum et Foeminarum; quibus postmodum accessit et tertium Atrium *Gentium* negante huic locum Lnd. Capello. Singula suis Peribolis triplici Porticum ordine, Castellis, Portis distincta, quin et *gradibus*, quibus ex vno ascendebatur in aliud, eminente supra haec Domo Sancta.

Adde Aulam, Gazophylacia, Cellas, Exhedras, Cubicula, Culinas, Hypogaea, Turreseu Castella, Columnas, aeneas duas ante Porticum, marmoreas MCCCCLIII. etc.

Adde Pavimenta, Parietes, Tectum, Capitella, tesselato opere, laminis aureis, tegulis aeneis, caelaturis, gemmis pretiosissimis, etc. admiranda, vti reliqua omnia, et Aedificium totum, artificio, symmetria, architectura, proportione Musica, supra humanam industriam.

Miranda certe, sed pro istorum temporum indole. Caue tamen, ne Salomonis templum cum aliis antiquitatis inter Aegyptios, Graecos etc. monumentis compares. Videntur enim Iudaei, saltem isto tempore, architecturae parum fuisse periti.

7. *Magnitudo*, quae cum Atriis et Porticibus plane sine exemplo, vt capax esset Templum immensae hominum multitudinis, ad Festa ter in anno confluentium. Nec rari men totius Israël capax, vt Villalpandus, cum Iosepho teste 2700000 millia virorum Hierosolymis ad Festum coirent. Fuit ambitus illius pedum 2882. seu cubitorum vel passuum communium bis mille, quae et distantia est apud Talmudistas *itineris Sabbatici*, quo trahunt verba *Ios.* III. 4.

8. *Contenta et adiuncta* Templi Salomonici, quae supra fidem, si putamus *Vasa* omnia, *Altaria*, *Mensus*, *Candelabra*, *Pateras*, *Phialas*, *Cantaros*, *Lances*, *Crateres*, *Acerras*, etc. in his ex auro vasa CCCXXI. mille. ex argento MCCCXL. si Iosepho fides. Adde *Vestes Sacras*; *Instrumenta Musica*: alia plurima, recensita accuratius locis cit. Iosepho, Villalpando *Col.* 502. 502 Capello in Excerptis. Quibus accessit ingens illud *Labrum* seu *Mare aeneum*, 1 *Reg.* VII. 23. 2 *Chron.* IV. 1. etc. in cuius descriptione nec quoad diametrum et circumferentiam, nec quoad capacitatem, vlla contradictio est, quantumvis esse aliqua videatur 1 *Reg.* VII. 26. 1 *Chron.* IV. 5.

9. *Praerogatiuae* aliae singulares *primi Templi*, quae defuerunt in secundo Templo.

Has *quinque* referunt passim Talmudistae: *Arcam Foederis* cum Operculo, seu Propitiatorio, et quae tum *intra Arcam* 1 *Reg.* VIII. 9. tum *iuxta eam* *Hebr.* IX. 4. de quibus ex professo, post alios, Cl. Buxtorfius, in *Historia Arcae*.

Ignem sacrum, miraculose coelo delapsum, *Leuit.* IX. 23. 4. 2 *Chron.* VII. 1, 2, 3.

Dei praesentiam seu habitationem inter duos Cherubinos alatos, 1 *Reg.* VI. 23. quacunque hi forma, seu animalium, vt osephus, seu verius humana.

Spiritum Propheticum, qui defecit sub secundo Templo, post Malachiam, audita tamen subinde בת קול *filia vocis*, de qua Talmudici, et Targumim

Vrim et *Thummim*, in Pectorali sacro recondita, (quicquid iam illa fuerint) edendis Oraculis. Quanquam consultum fuisse hac ratione, vel a Salomone, vel a successoribus, non dicitur.

10. *Inauguratio* solennis, de cuius *tempore*, *ritibus*, *miraculis* duobus, Dei sc. apparitione, ac igne *Deopetenti*. quae excepta sunt altera ad Salomonem et gratiosa apparitione 1 *Reg.* V II. IX. 2. 2 *Chron.* V. VI. et Iosephus *Antiq. Lib.* VIII. C. II.

L. Ag.

II. Accesserunt aedificia alia Salomonis, v. gr. *Regia* seu Basilica, et domus *Saltus Libani*, spatio XIII annorum, tardiori opere, perfecta, de cuius magnificentia, amplitudine, situ, in Sione, e regione Templi, partibus, contentis, vasis, admirandis aliis, Libri Regum, Chronicorum, Iosephus, Eusebius IX. *Praep.* et ex iis prolixè Villalpand, et Lud. Capellus.

Urbes etiam conditae auspiciis Salomonis, Tadmor deserti vel Palmyra, Azorus, Magedon, Gadara, Beth-horon vtraque, Bahalath vel Baleth, etc. De his Iosephus *loco cit.* et 2 *Chron.* VIII. 2. etc. protensis ad Euphratem Imperii limitibus.

III. Quo tempore Classes memorantur in *Ophir* transmissae, 1 *Reg.* IX. 2 *Chron.* VIII, quae an *Ophir* Arabica, an *Zofala* Africana, an *Peruvia*, an *Hispaniola*, an *Indiae Orientalis* tractus, et vt Bocharto placet, *Taprobane*, ex *פרוץ* *Provan*, *Paruain*, quae sit *Ceilon*, *Zeilan* Insula, hodieque disceptatur. Holstenio est *Σηππαρα* Ptolemaei, emporium Indicum continentis Peninsulae, *Σεφερα τοῖς* LXX. Et haec Classès magnam partem auri ac pretiosorum suppeditarunt, ad structuras et sumptuosa Salomonis. Naues structae ad litus maris algofi, 1 *Reg.* IX. 26.

V. Libri Sacri et Canonici, hac Periodo consignati.

Hac Epochà crevit indubie Canon Hebraeorum, scriptoribus partim *certis*, partim *incertis*. In alterutrum censum referuntur,

I. Liber *Iosuae*, continens historiam vulgo annorum XVI. Iosepho XXV. a Mosis excessu, seu a principatu Iosuae ad huius vltima.

Vix enim Iosua ipsam Libri scriptorem esse, quam concinnati ex huius monumentis, *Ios.* XXIV. 26. et ex *Factis publicis*, *Ios.* X. 13. deque rebus sub Iosua gestis, non pauca suadent *Ios.* XI. 21. XV. 16. XIX. 47. XXIV. 29. Hic enim memorantur plura, quae post Iosuae mortem accide-

ciderunt, praeter excessum Iosuae, et phrasin qua res, inde a Iosua, dicuntur durasse *vsque in hunc diem*.

II. Liber *Iudicum*, continens circiter historiam CCC. annorum, vsque ad mortem Samsonis; Quin et ibi res post Samsonem gestae, *vt captiuitas Arcae*, post translatam eam ex Schilo, *Iud. XVIII. 30. 31*, de quo *1 Sam. IV*. Sic dictus non ab *auctoribus*, sed ab *argumento*, sumpta pariter ex *Iudicum* monumentis, et ex *Israëliticis Fastis*, concinnatus tamen sub Samuele, vel sub Dauide.

III. Liber *Ruth*, continens seriem Genealogicam ad *Dauidem* vsque, *Ruth IV. 22*.

IV. Liber *Iobi*, circa aetatem Salomonis probabiliter scriptus, vt nos alias pluribus, *Hist. Iobi C. XVI*.

Eorum sententia, qui statuunt huncce librum ab Elihu esse conscriptum, mihi quidem valde probanda esse videtur. Hoc ipsum enim adparere arbitror ex illis capitibus huius libri, in quibus Elihu loquens inducitur, in primis cap. XXXII. vbi, vt et in sequentibus, eius sermones illius generis esse videntur, cuius esse solent si Scriptor Orientalis de se ipso verba facit. Ceterum fere persuasum habeo, Iobum olim vere existisse, librum autem non nisi argumentum sermonum, quos Iobus et amici eius miscuerunt, sistere; eam nimirum in formam, quam iam habet, ab Elihu redactum. Confero quodam modo cum illo carminum genere, quod facta quaedam vel sermones alicuius continet e. c. *Gen. XLIX. V*.

V. Libri *Samuelis*, complexi historiam a morte Samsonis, seu ab initio XX. annorum, praefecturae Heli, vsque ad Davidis vltima. Dicti Graecis et Latinis Interpretibus *I. ex 2 Regum*, quia continent historiam Davidis et Saulis. Successiue res eorum Librorum scriptae, quo gestae sunt tempore, post in hanc formam collectae sunt.

VI. *Psalmi Dauidici*, plerique Dauide auctore, ex quibus eius nomen praefertur *LXXXII. sine inscriptione sunt XXV. reliqui Mosis, Salomonis, Asaphis, Hemani,*

Etha-

Ethani, adscripti; post Captiuitatem vno aut altero accedente, quales CXXVI. et CXXXVII. nisi hi *Prophetic* habeantur. Forma voluminis et dispositionis Esdrae videtur tribuenda.

Dauidem multa carmina ex illis, quae iam in Collectione Psalmorum profant composuisse, illorum argumentum, si cum historia Dauidis confertur, sat clare demonstrat. Interim adfirmare non audeo omnes istos Psalmos, qui Dauidi in inscriptione tribuuntur a Dauidesse exaratos; adsunt enim grauissima argumenta quibus euinci potest Psalmorum titulos seriori tempore esse additos; cumque de multis Psalmis possit probari illos longe alio tempore esse confectos, quam illorum titulus tradit, omnino exinde conici posse arbitror, dubium esse quis illa carmina composuerit, quorum argumentum non prodit Auctorem. Negari quidem non potest a Dauidesse orta, at tamen aequae minus affirmari. Quod ad reliquos Psalmorum Auctores attinet, Mosen, Salomonem, Asaphum cet ego quidem valde dubito quin ab iis vere orti sint illi Psalmi, qui iisdem tribui solent. Sane, si quid video, Ps. LXXIX. cuius argumentum clarissime docet confectum eum esse temporibus captiuitatis babilonicae, aut post eam, Asaphi non est. Idem de aliis quoque dici potest. Collectionem non ab vno esse factam, si non aliis ex rebus, saltem ex Ps. LXXII. 20. apparet. *V.*

VII. *Libri Salomonis*, in quibus sunt alii *Canonici*, alii vero non tales; alii *genuini*, alii *suppositiui*: in secundo ordine sunt qui ex *1 Reg. IV. 33.* Iosepho memorantur, Zoologici, Botanici, Medici, Poetici, imo etiam Magici, de Incantationibus et Auguriis, etc. Iosepho res Salomonis in aliis quoque, studio suae gentis, adaugente Vnde *libros ter mille* Parabolarum scripsisse Salomonem. *Ant. L. VIII. c. 2.* Sed et in suppositis Salomoni sunt liber *Ecclesiastici*, et liber *Sapientiae*, multis documentis recentiores.

In Canonicis sunt, *Canticum Canticorum*, quod dicitur *Salomonis*, vers. I. et *de Salomone*, tum typicum vero, scriptum florentiori aetate Regis. Scriptum allegoricum, et metricum, a praestantia *Canticum Canticorum*, ad cuius lectionem non admitti a Iudaeis, nisi qui 30 annum impleuissent, teste Hieronymo, *Prol. in Ezech.*

Vix video quomodo auctoritas canonica Cantici Canticorum alio ex fundamento adferri possit, quam quod hicce liber hebraice sit scriptus est in Collectionem librorum V. T. relatus. Argumentum enim, nisi ineptam illam mysticam interpretandi rationem sequi velis, ne speciem quidem diuinitatis prae se ferre, vel me non mouente quisque facile, nisi vult coecutire, facile videt. *V.*

Proverbiorum liber, concinnatus ex sententiis et parabolis Salomonis *i Reg. IV. 32.* praeter vltima 2. Capita; seu Salomone ipso concinnante, seu post aliquo Prophetarum, *Prov. XXV. I.* Moraliter verius et doctrinalis, quam Propheticus liber.

Ecclesiastes, auctore filio Davidis *Cap. I. I.* multis et in Libro rei argumentis, tanquam *concio* poenitentiae, tum verbis tum exemplo, ita tamen vt nonnulla in eo sint non tam *praecepta* eorum quae fieri debeant, quam *narrata* rerum quae fiunt, aut ab hominibus cogitantur, vanissime quidem. *Eccles. V. 18.* coll. cum *XL. 8.* etc.

VI. Salomonis ad Idololatriam defectio.

Poenae. Poenitentia.

I. *Defectiones* quidem Salomonicae constant ex *i Reg. XI. XII.* et ex Iosepho *Lib. VIII. C. II.* sub finem.

1. *Tempus*, prouectiori aetate Salomonis, vulgo circa XXX annum Regni administrati. Initium tamen defectionis ponunt Iosephus et Hebraei, in figuris boum mariae subiectis, *i Reg. VII. 24.*

2. *Occasio*, vxores Idololatricae, numero DCC. in quibus Princeps Reginarum Aegyptia, praeter Concubinas CCC. spreto Mosaico interdicto, quod et Iosephus obseruat.

3. *Mo-*

3. *Modus* longe foedissimus, ut *secutus sit deos alienos*, seu actu Idololatriae directo, ut Iosephus, et plerique Patres sentiunt, seu indirecto, aedificatis excelsis et Idoleiis, etiam in loco Sancto, e regione Urbis, etc. *1 Reg. XI. 5.* et seq.

4. *Increpatio* diuinitus facta, seu apparitione immediata, seu ut Iosephus legatione mediata alicuius Prophetae.

II. Hinc *poena* excepit, tum inchoata viuo Salomone, instrumentis *Hadado*, (Iosepho et Graecis *Adero*) Idumaeo, *Raxone* vel *Razario* Syro, et *Ieroboamo*, Ephraemiensi, *1 Reg. XI.* qui est Arabibus *Rabaamus*; tum *consummata* sub filio Rehoboamo, *1 Reg. XII.*

III. Sed et *Poenitentia* merito adscripta Salomoni est, pluribus ex Historia S. apud Theologos argumentis, nec alieno Iosepho, quanquam dicat *αἰσῶς ἀποδανόντα*. Ita et eommunius Hebraei, et Patres, controuerfa apud alios mente Augustini. Secus Arabes, et diferte cum aliis Abulfaraius, *pag. 55. mortuus est sine poenitentia.*

EPOCHA SEXTA.

A

DISTRACCIONE REGNI SVB REHOBOAMO, AD FINEM REGNI IVDAE, SEV AD CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

I. Schisma tum in Republica, tum in Ecclesia natum.

Huius constant ex Sacris,

1. *Tempus*, mox ab excessu Salomonis, in Comitibus Sichemi habitis, quum de inaugurando Rege, seu mittendo in possessionem Regni, ageretur *1 Reg. XII. 1.*

2. *Occasio*, Roboami nempe, aetate non consilio maturi, *2 Chron. XII. 13.* imprudentia summa et pertinacia in spernendis Senum consiliis, qui suaderent liberari populum a gravissimo onerum ac tributorum iugo, quod urgebant Tribus.

3. *Caput* defectionis, Ieroboam Ephraimita, feruus ante Salomonis, Regnum illi praedicente pridem Ahia Propheta, viuo Salomone, 1 *Reg.* XI. 30. etc. XII. 15. Vnde metus Salomoni hominis ambitiosi, et huius in Aegyptum fuga 1 *Reg.* XI. 40. Factum iusto Dei iudicio, in poenam Salomonicae defectionis.

4. *Modus*, dum idem ille Regnum a X. Tribubus sibi oblatum occupat, munimentis firmat, diuiso sic *Ephraim* a *Iuda*, *Esai* VII. 17. et vno Imperio in duo Regna distracto, quorum alterum *Iudae* dictum, a potiori, ex tribubus Iudae, Simeonis, et maxima parte Beniaminis, accedentibus *Leaitis*, 2 *Chron.* XI. 14. alterum *Israëlis*, *Ephraim*, *domus Israël*, ex IX. reliquis Tribubus, et parte Beniaminis.

5. *Medium* confirmando schismati, erectio noui cultus, et immutatio sacrorum, ne Hierosolymam amplius Tribus confluerent. Hinc *Vituli duo* ad cultum instituti, ex Aegyptiorum disciplina, quos inter versatus Ieroboam alter *Dane*, alter *Bethel*, sicque Altare Altari; *Bethel* Sanctuario, cultus idololatricus Mosaiico, opposita, 1 *Reg.* XII. 2 *Chron.* XI. XIII. *Ioseph. Lib.* VIII, C. III.

6. *Effecta* eiusdem, nempe Religionis et Ecclesiae in *Israële* subuersio, scholarum dissipatio, Sacerdotum ac *Leuitarum* exaucloratio, 2 *Chron.* XI. 14. defectio ad Gentium Idola, *Sidoniorum*, *Acaronitarum*, *Syrorum* morum denique corruptio: Residuo tamen aliquo piorum, etiam sub *Achabo*, 1 *Reg.* XVIII. 4. XIX. 18. quin et Prophetarum, quibus sua collegia 2 *Reg.* II. 3. IV. 38. etc. praeter Prophe-
tas alios extra ordinem suscitatos, in Regno *Israëlis*.

7. *Duratio*, quamdiu nempe stetit Regnum *Israëlis*, vsque ad deportationem Tribuum sub *Hosea*, ultra CCL. annos; de qua infra.

8. *Poenā* impietatis, primum denunciata *Ieroboamo*, per eundem *Ahiam*, 1 *Reg.* XIV. 10. 15. et ante per Prophe-
tam anonymum cum circumstantiis suis, 1 *Reg.* XIII. 2. in-
figenda deinceps 2 *Reg.* XVII. 6. etc. ipsa deportatione Tri-
uum, de qua infra. II, Hi-

II. Historia Regum Iudae, et Iſraëlis, a tempore Diuifionis.

I. Nec compendii huius ſunt nec inſtituti, quae ex hiſtoriis *Regum* et *Chronicorum*, harmonice diſpoſuerunt paſſim Chronologi, Hiſtorici, Annaliſtae ſacri, et perſequentur Joſephus a *Capite III. Libri VIII.* ad finem *Libri IX.* quoad Regnum Iſraëlis, et *Libri X.* quoad Regnum Iudae. Quanquam ſane intereſt plurimum cognoscere vtriuſque Regni conditionem, ſucceſſiones, bella ciuilia, bella externa, victorias, clades, idololatriam, impietates, poenas diuinitus denunciatas et inſiſctas, ex quibus mira lux *ſcriptis propheticis*, quae perpetuo ad *hiſtoriam* reſpiciunt, et ad peccata, calamitates, liberationes, in regnis Iſraëlis et Iudae.

II Reges *Iudae*, a Rehoboamo ad Mattaniam ſeu Zedekiam, vltimum, fuere numero XX. Athalia inclufa. *Iſraëlis* vero a Ieroboamo ad Hoſeam numero XIX. *Zimri* 7. dierum Rege, et *Reg. XVI.* Multiplici alias inter vtroſque Reges *diſcrimine* obſeruando, ratione *generis*, quod in Iuda omnes a Dauide duxerunt, ratione *tituli* quo regnum habuerunt, ratione *cultus ſacri*, ac *durationis* vtriuſque Imperii.

Porro in hac omni hiſtoria libris *Regum* et *Paralipom.* deſcripta Antilogiae apparentes non paucae, quoad annos *Regum*, Periodos *Regnorum*, *Locorum* nomina, et ſimilia. In ſpecie Chronologia annorum regum Iudae et Iſraëlis nihil perplexius, conciliatione nihil difficilius, et ſi vſquam in Textu ſacro dantur *ἀνομα*, hic ſane dantur. Vnde alii Hebraeos Codices corruptionis accuſare; alii audacius reſtituere; alii, quos inter Beroaldus noſter, opus diuino aſſiſtatu, vt expediantur multae difficultates. Ex. gr. in annis *Aſae* comparatis cum annis *Baſſae* et *Chron. XV. 19. XVI. 1.* Sic in annis *Zimri* et *Anri* comparatis cum annis eiufdem *Aſae* et *Reg. XVI. 15. 23.* Ita in comparatione annorum *Iorami* Iudae, filii Iofaphati, cum annis *Iorami*

vani Israël's, filii Achabi, 2 *Reg.* I. 17. III. I. VIII. 16. Sic in annis *Achaziae* vel *Ochoziae* Iudae, etc. De quibus alibi prolixior est dissertandi locus. Nos singula modo indigitamus in ipsa Regum historica serie. Conciliandi autem ratio potissimum quadruplex 1. Si anni *inchoati* et currentes pro *completis* habeantur; aut etiam in annorum numero plane non censeantur anni illi *inchoati*. 2. Si Filii statuatur regnasse *viuis* quandoque Patribus, socio imperio, vnde anticipandum illorum regnum. 3. Si varia annorum initia distinguantur, vt a mense *Nisan*, aut mense *Tisri*, quorum ille primus sacer, hic civilis. 4. Si quandoque intelligantur anni non Regum quidem, sed *stantis Regni*, vt in exemplo *Asae* indicatur; vel *regni pacati*, a factione liberi, vt in *Omri*. *Conf. Scriptores Chronologi praesertim Alph. des Vignoles* Chronol. de l'Hist. sainte, et *Fr. Wilh. Beers*. Abhandl. zu Erlaeut. der alten Zeitrechn. und Geschichte. *nec non Eiusd.* richtige Vereinigung der Regierungsjahre der Könige von Iuda vnd Israël. *Io. Jackson* chronolog. Alterthümer etc.

1. *Roboamus* ex bono malus, et Idololatra, regnat annos XVII. admotus regno, anno aet. XLI. Sub hoc *Bellum* Aegyptiacum, per *Sisac*, 2 *Chron.* XII. Σίσακων Iosepho *Lib.* VIII. C. IV. Σισακείμ τοῖς LXX qui apud Herodotum et Historicos est Sefostris, Sethosis, Sethos, etc. Asiae dominator. Ita Iosephus, Africanus, Eusebius.

Propheta sub hoc *Scemaia*, vel *Semia*, 1 *Reg.* XII. 22. *Israëlis* Rex Hieroboam I. Metropolis regni *Thirza*, in tribu *Manassis*, ante *Samariam* conditam.

2. *Abia*, filius Roboami, designatus a Patre, Rex impius, regnat annos III. incompletos, 2 *Chron.* XIII. 2. sub hoc *bellum* cum Ieroboamo, caesis *quingentis millibus*, 1 *Reg.* XV. 2 *Chron.* XIII. Iosephi *Antiq.* L. VIII. C. V.

Propheta fuit *Ieddo*, *Iddo*, 2 *Chron.* XII 15. a quo res Roboami conscriptae, *Israëlis* Rex idem Hieroboam, cui anni regni XXII tribuuntur, nec tamen completi, 1 *Reg.* XIV. 20. Nadabo successore anno Patris XXII modo

modo inchoato, vti Afae Regis Iudae anno II. 1 *Reg.* XV. 25.

3. *Afa*, Ἀσά, in laudatis Regibus, et Reformatoribus, quanquam non amotis excelsis, nisi tarde, regnat annos XLI. 1 *Reg.* XV. XVI. inde ab XXI Ieroboami, et a Regno Iudae labente etiam XX. Sub hoc bellum defensionum Athopicum, vel Arabicum, Iosephi *Lib.* VIII. C. VI. 2 *Chron.* XIV. XV. Bellum cum Baasa, Rege Israelis, qui regnum adiit III. Afae, 1 *Reg.* XV. 28, vt Nadabo Baasae decessori non nisi annum tribuas, quo solus regnauerit.

At difficultas maxima, vnde 2 *Chron.* XVI. 1 idem Baasa dicatur regnum Iudae infestasse, anno Afae currente XXXVI, qui ipse mortuus anno Afae XXVI, postquam regnasset annos XXIII completos, seu XXIV inchoatis. Communis solutio est, annum XXXVI designari, non Afae ipsius, sed regni Iudae, inde a diuisione, Petauio quoque probata.

Prophetae tum Azaria, Hananus, Iehu Hanani filius, de quorum ministerio 2 *Chron.* XV. XVI. 1 *Reg.* XVI.

Israelis οὐρανοῦ Reges, Nadab, Baasa, Elah, Zimri, Omri vel Amri, (anti-Rege Thibni) sub quo *Samaritania* condita, et in Metropolim erecta, 1 *Reg.* XVI. denique *Ahab*, profigatissimus Regum Israelis, 1 *Reg.* XXI. 25. cum impia Iezabele. De his Iosephus *Lib.* VIII. C. VII. VIII. Non exiguus scrupulus in annis *Omri*, qui anno XXXI Afae regnum adisse dicitur, regnasseque annos XII, 1 *Reg.* XVI. 23, cum tamen successerit ille *Zimri* Regi sublato anno Afae XXVII 1 *Reg.* XVI. 10. 15, et inde putentur anni XII regni. Sed aemulum habuisse censendus est *Thibni*, in primo regni quadriennio, quo sublato anno XXXI, Afae, solus regnum administravit.

4. *Iosaphat*, Rex optimus, Reformator insignis, melior Patre, regnat annos XXV. ab anno IV. Achabi. De hoc 1 *Reg.* XXII. 2 *Chron.* XVII. et seq. Filium Ioram se adhuc viuo assumit in consortium regni, vt mox obseruamus.

Sub

Sub hoc *bellum* sociale cum Achabo, iniquo foedere, *1 Reg. XXII.* vt et altero cum Achazia, *2 Chron. XX. 35. 1 Reg. XXII. 50.* Defensiuum vero bellum aduersus Moabitās, Ammonitās, Idumaeos, Syros, *2 Chron. XX.* Deuictis hostibus in valle, quae hinc Iosaphati, *Ioel III. 2.*

Prophetarum sub huius regno, Micha a Scriptore S. diuersus, chu, Iahaziel, Eliezer, *1 Reg. XXI. 1. 2 Chron. XIX. XX.* in Israële, Elias Thesbites, Micha, Elizeus.

Israëlis Reges Achab, Achaziah, Ioram, sub quo Sanaria misere obfessa, miraculo liberata, *2 Reg. VI. VII. Iosephus Lib. IX. C. II.*

Prophetiis, factis miraculis excellunt sub his *Elias*, et *Elizeus*, *Ἐλισσαῖος* inde a *1 Reg. XVI.* ad *2 Reg. XIII.*

5. Ioram, confors Regni paterni annos III. circiter, regnat annos VIII. quicquid alii addant annos XX. inglorios, quibus scil. Achazia filius verius regnauerit, solus hic demum regnaturus anno aet. XLII. ob difficultatem, quae est *2 Chron. XXII. 2.* collato cum *2 Reg. VIII. 26.* Et hic quidem fuit Rex malus, corruptus ab Athalia coniuge, Achabi filia, *2 Chron. XXI. XXII.*

Sub hoc defecto Edomitarum, a Iuda, cui inde a Dauide fuerant obnoxii, *2 Reg. VIII. 20.*

Prophetarum iidem, et memorabilis *Eliae* ad Ioramum Epistola, *2 Chron. XXI.* ante sane scripta, sed tradita demum post raptum miraculosum *2 Reg. II.*

Israëlis Rex *Ὀβυρχεβος* & cognominis Ioram, de quo modo. Persequitur omnia Iosephus *Lib. IX. C. II. IV.*

Insuperabilis videtur difficultas in conciliandis annis regum *Ὀβυρχεβου* Iosaphati, Iorami Iudae, Achabi, huiusque filii Iorami Israëlis. Nam vno loco *1 Reg. XXII. 41.* Iosaphat regnat ab anno 4 Achabi impleto, annos 25. Sublatus ergo Achab, (cui anni XXII. tribuuntur,) Iosaphati 17, annis 8 ante mortem Iosaphati, et successionem Iorami Iudae. Altero loco *2 Reg. I. 17.* Ioram filius Achabi, biennio ab huius morte, medio Achazia, coepisse dicitur anno 2 Iorami Iudae, viuo tamen adhuc Iosaphato, cuius tum annus

nus

aus labebatur 20. Tertio loco, 2 *Reg.* III. 1. idem Ioram Achabi filius coepit regnare anno Iosaphati expirante 18. Quarto loco, 2 *Reg.* VIII. 16 Ioram Iudae regni habenas capessiuit anno 5 Iorami Israëlis, huic iam posterior, qui tamen Ioram Iudae praepositur filio Achabi 2 *Reg.* I. 17. Porro quintus Iorami Israëlis coincidit cum Iosaphati anno 22. Nec felicior conciliandi ratio, quam si Ioramo Iudae tria regnandi principia tribuantur, duo tanquam *Proregi* assumpto, viuo Patre anno Iosaphati XVII, quo tempore hic profectus ad bellum sociale cum Achabo 1 *Reg.* XXII; tum anno XXII, profecto Iosaphato ad bellum cum Ammonitis et Moabitibus 2 *Reg.* VIII. 16. 17. Tertium denique Patre sublato 1 *Reg.* XXII. 51. Alii alia coniectura, et Lud, Capellus, alique, mendum esse in Textu 2 *Reg.* I. 17, nec illud anno secundo esse in versione LXX, vt nec illud extat, quod in Hebraeo est, et *Iosaphat regis Iuda* 2 *Reg.* VIII. 16. Sic videtur statuendum, *Achaziam* Israëlis habuisse consortem regni fratrem suum Ioramum, ex quo iste ex lapsu decubuit, vnde hic Ioram regnare coepit anno XVIII Iosaphati, id est, conregnare 2 *Reg.* III. 1.

6. *Achazia*, qui et Azaria, Iohahaz, regnum adiit solus anno Iorami Israëlis 12 incipiente 2 *Reg.* VIII. 25, vel eiusdem anno undecimo expirante 2 *Reg.* IX. 29. Rex impius, regnat annum 1. ab aetatis anno XXII. vt est 2 *Reg.* VIII. 26. molesta conciliatione, et varia simul, cum loco 2 *Chron.* XXII. 2. vbi regnare coepisse anno aet. XLII. Mendum suspicantur Mercerus, Grotius, Capellus, Petavius, Vsserius etc.

Sub hoc bellum in Syros, iniquo Achaziae cum Iorammo foedere, 2 *Chron.* XXII. 5. vtroque mox per Iehū sublato, Iosephi *Lib.* IX. C. V. ex 2 *Reg.* IX. 24. 27. 2 *Chron.* XXII. 9. vbi difficultas ratione loci necis Achaziae, qui in libro Regum est *Megiddo*, et in Chronicis *Samaria*. *Israëlis* Rex idem qui ante, Ioram.

7. *Athalia* foemina, (*Ἰσθλία*) vsurpatrix Regni, mater Achaziae antecessoris, crudelis, Idololatra, regnat annos

annos VI. 2 *Reg.* XI. 2 *Chron.* XXIV. subducto eius furorē Ioafo nepote, Iosephi *Antiq.* L. IX. C. VII.

Rex *Israëlis* contemporaneus fuit *Iehu*, vnctus diuinitus in destructionem domus Achabi, 2 *Reg.* IX. 6. 14. quam et ipse cultor Idolorum, 2 *Reg.* X. 29. 31. hinc ad 4. generationem regnaturus, de quo Iosephus Lib. IX. C. VI.

Sub hoc natum institutum *Rechabitarum Ierem.* XXXV. 6. 7. auctore Ionadabo filio Rechabi *Kinaei*, de genere Iethronis, vnde Rechabite etiam *Kinaei*. Hic certe Ionadab dicitur obuius factus Iehu Regi, 2 *Reg.* X. 15. Erant *Kinaei* isti profelyti, peregrini in *Israële*; prima origine *voçades*, *αμοιζόβιοι*, vagis sedibus, qui Mosi iter per desertam commonstrarant. Vnde votum de abstinentia a vino, vuis; de non conserendis agris, nec plantandis vineis; de non aedificandis domibus in *Israële*; de sedibus habendis ἐν σκηναῖς *tentoriis*. Idque vt suae fortis et originis meminissent, atque abstraherentur a curis seculi.

8. *Ioas* filius Achaziae, Rex ex bono malus, talis certe a morte *Ioiadae* (Barachiae) Pontificis, regnat annos XL. 2 *Reg.* XI. XII. XIII. 2 *Chron.* XXIII. XXIV. Hic rursus difficultas, primo ex 2 *Reg.* XIII. 1. vbi Ioachaz filius Iehu admouetur regno *Israëlis* anno ioasi XXIII. Deinde ex 2 *Reg.* XIII. 10. vbi Ioas filius Ioachazi succedit in regnum *Israëlis* anno Ioasi Iudae XXXVII, id est Ioachazi anno XV, qui tamen regnavit annos XVII ex priore loco, 2 *Reg.* XIII. 1. seu ad annum inchoatum XVII. Conciliandi ratio est, si priore loco annos *Ioasi* putes tantum XXII completos; posteriore annos regni *Ioachazi* XVI completos. Vnde exurgunt Ioasi Iudae anni XXXVII completi, trigesimo octavo regni currente.

Bellum sub hoc Syriacum cum Hazaële Syro, praedicente Elizaeo, et funestum Vrbi, Templo, Regi, 2 *Reg.* VIII. II. XIII. 3. Iosephi, Lib. XI. C. VIII.

Hic *Zachariam*, filium Ioiadae (*Barachiae*) apud Matthaeum, affini nomine, quoad rem significatam) inter Tem-

Templum et Altare holocaustorum, in atrio occidi iussit,
2 *Chron.* XXIV. 21. *Matth.* XXIII. 35.

Reges *Israëlis* coeui, Iehu et Iohahas, 2 *Reg.* XIII
vino adhuc *Elizaeo*.

9. *Amazia*, ex bono malus, Regni habenas capessit
anno Ioasi *Israëlis* II, 2 *Reg.* XIV. 1, quemadmodum hic
anno Ioasi Iudae XXXVII, 2 *Reg.* XIII. 10. Ac regnavit
quidem *Amazia* annos XXIX, 2 *Reg.* XIV. 2. et 2 *Chron.*
XXV. 1. Superstes Ioaso *Israëlis* annos XV, ut est 2 *Reg.*
XIV. 17. Quo fit ut Ieroboam II, filius Ioasi, admotus
regno sit anno *Amaziae* 15, ut diferte 2 *Reg.* XIV. 23, et
Amazia sublatus sit, succedere *Azaria*, postquam Ieroboam
regnasset annos fere XI. Sed difficultas redit ex 2 *Reg.*
XV. 1, ubi Ieroboamo tribuuntur anni 27, quum succederet
Azaria in regnum Iudae; rursus mortuus fertur Iero-
boam anno *Azariae* 38, 2 *Reg.* XV. 8. Seu iam *interreg-
num* concipiatur annorum XI in regno *Israëlis*, cuius tamen
certa vestigia non apparent; seu *Azariae* anni XI priores
coincidant cum annis *Amaziae* patris, quocum regnauerit,
in regni societatem a populo assumtus, 2 *Reg.* XIV. 23.

Sub *Amazia* bellum cum Idumaeis primo, tum Ioaso
Israëlis Rege; prius felix, posterius Regi et Vrbi luctuo-
sum. Vide et Iosephum Lib. IX. C. IX. X.

Prophetæ anonymi duo ad Regem diuinitus missi,
2 *Chron.* XXV. 7. 15.

Reges *Israëlis* coeui Ioas, et Ieroboam II, de qui-
bus dictum modo.

10. *Azaria*, qui et *Vzzia*, *Ozias*, Ioramio immedia-
te subiunctus *Matth.* I. 8. (tribus hic Regibus mediis omif-
sis, ut *Ἰσοακίδεωσ* exsurgeret, iuxta calculum *Matth.*
I. 17) omnium Rex felicissimus, regnat ann. LII. vsurpati
Sacerdotii reus, caetera laudatus. Quibusdam viuo Patre
admotus regno, ex loco 2 *Reg.* XV. 1. aliis nonnisi post in-
terregnum XI. annorum, ex locis, 2 *Reg.* XIV. 17. 2
2 *Chron.* XXV. 25. etc.

Vt florentiora haec fuere tempora (in quae incidit *Olympias* 1. Graecorum, ad annum circiter XXXV. Azariae) sic corruptissimi mores in utroque Regno, ad quos respiciunt cumprimis Esaias, Hoseas, Amos, *Prophetarum* coaetanei, ad Ezechiae ultima.

Huius et aetatis sunt *Prophetarum* Ioël et Ionas, posterior utique, ex 2 *Reg.* XIV. 25. *Ion.* I. 1 etc. Iosepho *Lib.* IX. C. XI.

Israëlis Reges Ieroboam II. et post interregnum annum fere XII, Azariae anno 38. Zacharias qui ultimus ex posteris Iehu, 2 *Reg.* XV. 8. 10. 12. hinc Schallum, Menachem, Pekalah, Pekach.

Regnante Menachem, *Phul* Rex Assyrius, (minus recte aut Belochus, aut pater Sardanapali, verosimiliter ille de quo in historia *Ionae*) Israëlis regnum innadit, pretio redimendum, 2 *Reg.* XV. 19. Hinc non nescius veri Dei, quem Israëlitae adorabant. Successit *Tiglat Phul-Assar* (Τεγλαφαλάσσαρ Iosepho, Θαλμοφελλασσαρ τοῖς LXX) diuinitus quoque excitatus, a quo Syriae regnum, dein regio trans Iordanica, et superior Galilaea, occupatae 1 *Chron.* V. 26. Unde initium *translationis* Tribuum.

II. *Iotham*, Rex bonus, et felix, quamquam pessimis temporibus, populo sacrificante in excelsis, ex Historia, et ex quaerelis Prophetarum Esaias et Michae. De hoc Rege 2 *Reg.* XV. 2 *Chron.* XXVII. et Iosephi L. IX. c. II. 12, quem fuisse aedificiis splendidum, bello contra Ammonitas, felicem, in Deum pietate, in homines iustitia, in republicam sollicitudine, insignem, obseruat quoque Historicus. Regnavit annos XVI, incipiens a secundo Pekachi 2 *Reg.* XV. 32.

Sub hoc *Trans-Iordanica Galilaea* in Assyrii *Tiglat-Phul-Assaris*, potestatem redacta, ac Tribus III. deportatae, Rege *Israëlis* Pekach, 1 *Chron.* V. 26. 2 *Reg.* XV. XVI.

Prophetarum Esaias, Hoseas, Micha, ipsismet in vaticiniis de se, et de tempore quo vaticinati sunt, testibus.

Huius

Huius temporibus incipiunt Aera *Vrbis Cond.* et illa *Nabon-Assaris*, qui Berodach-Baladan 2 *Reg.* XX. 12. Babylonis conditor.

12. *Achaz*, Rex impius, nec fortunatior, regnat annos XVI. 2 *Reg.* XVI. 2 *Chron.* XXVIII. inde a Pekachi anno XVII. desinente.

Sub hoc bellum per Rezinem (*Αρζών* Iosepho *Lib.* IX. C. XII.) et Pekachum *Syriae* et *Israëlis* Reges illatum Iudae, et quidem infestum, Hierosolyma etiam ab utrisque obsessâ, Deo tamen Achazum erigente, in suorum gratiam, ac signo gemino, *futuro* in Immanuële, et *praesente* in Schear-Iafchubo, condicente liberationem, *Esaï.* VII. VIII.

Confidit in Assur, *Esaï.* LVII. 9. 2 *Reg.* XVI. 10. cui vt placeret altare Damascenum consecrat, post et Templum spoliât, claudit, 2 *Reg.* XVI. 2 *Chron.* XXVIII. Iosephi *Lib.* IX. C. XII. XIII. Achazi anno 4 coepit regnare *Hoseas* *Israëlis*, Pecachi autem a se interfecti anno 20. sed et coepit hic anno 20 Iothami Iudae, 2 *Reg.* XV. 30, id est, ex quo Iotham regnare coeperat, cui nonnisi 16 anni tribuuntur. Alibi dicitur coepisse *Hoseas* Achazi anno 12, 2 *Reg.* XVII. 1. scil. regno tum placide administrato, excusso iugo Assyriorum, quibus fuerat regnum tributarium, 2 *Reg.* XV. 29, et *Israële* iam vltro *Hoseae* se submitte.

13. *Ezechias*, Rex optimus, pius, felix, Ecclesiae Reformator, admotus regno, viuo adhuc Patre, anno huius vltimo, *Hoseae tertio* desinente, scil. putatis annis *Hoseae* inde a XII Achazi 2 *Reg.* XVIII. 1. 2. Annos tum natus fuit *Ezechias* XXV, genitus adeo patri Achazo (qui vixit annos XXXVI, scil. XX ante successionem in regnum 2 *Reg.* XVI. 2.) *undecim* tantum annos adulto, vnde alii interregnum hariolati. Regnavit annos XXIX. De hoc 2 *Reg.* XVIII. XIX. XX. 2 *Chron.* XXIX. et sequentib. et apud Iosephum ad Cap. IV. Libri X. Solemnissimum *Pascha* sub *Ezechia*, post longam intermissionem.

Huius anno VI. transportatae, per Salmanassarem Assyrium, Tribus reliquae *Israëlis*, *Hosea* rege postremo, vt infra.

Sub hoc bellum offensiuum cum deuictis Philistaeis 2 *Reg.* XVIII, tum defensiuum *Assyriacum*, illatum per Sennacheribum, huiusque clades miraculosa 185000. 2 *Reg.* XIX 35 nequicquam ab Aegyptiis expectante auxilium Populo, quo respicit *Esaïas*, Cap. XXX. XXXI.

Prophetæ *Esaïas*, qui de *Ezechia* non pauca, *Hoseas*, *Micha*, *Nahum* solaturus *Israëlem* contra *Niniuen* et *Assyrios*, *Nah.* I. 1. etc.

14. *Manasses*, ex omnium profligatissimo Rege poenitens, et Reformator, regnat annos LV. inclusis annis captiuitatis suae *Babylonicae*, 2 *Reg.* XXI. 2 *Chron.* XXXIII. *Iosepho Lib.* X. C. IV.

Prophetæ tum memorantur anonymi 2 *Reg.* XXI. 19. et secundum *Hebraeos* quoque *Habakuk*, in *Babylonios*, vt *Nahum* in *Assyrios*, vaticinatus.

15. *Amon* Rex pessimus, regnat annos II. 2 *Chron.* XXXIII. 2 *Reg.* XXI. male *Eusebius* in *Chron.* signat annos XII, prouocans ad auctoritatem *Versionis Alexandr.* τὸν ὁ quae hacuit annos 13 pro 12. Sic et *Nicephorus CPlitanus* in *Chronologia*, fecus *Hebraei Codices*, et *Editio* quae *κοινή* dicta.

16. *Iosias*, Rex pietate et virtutibus, ac rebus pro *Ecclesia* gestis admirandus, regnat ab anno aetatis 8. ad 39. 2 *Reg.* XXII. XXIII. 2 *Chron.* XXXIV. etc. De eo vaticinium, etiam nomine expresso, sub initium *Schismatis Hieroboamici* 1 *Reg.* XIII. 2. Cum primis dignum obseruatu est, vt totus fuerit in repurgandis sacris, et diruendis *Excellis*, quae priores Reges crexerant, vel indiruta reliquerant, ipsoque illo altari quod struxerat *Rex Ieroboam* *Bethel*, combustis super eo ossibus mortuorum 2 *Reg.* XXIII. 15. 16. vt praedictum fuerat trecentis circiter annis ante euentum 1 *Reg.* XIII. 2. Reliqua *Iosiae*, omnisque eius

eius historia ex Textu sacro obuia est. Regnavit annos XXXI. male Sulp. Seuerus nonnisi annos XXI. *L. I. Hist.*

Post Iosiam gratis quidam interregnum fingunt, quum continuatio regni in Ioachazo et Eliakim, successoribus, intelligatur vel ex calculo Ieremiae, *Cap. XXV. 1. 3.*

Bello infelix, illato Pharaoni Necho, de quo et Iosephus, *Lib. X. Cap. VI.* Ab huius quoque morte animam agere Hebraeorum Resp. coepit, Lamentationibus hinc Ieremiae expressis.

Prophetae Ieremias, inde ab anno Iosiae XIII. et Zephania, vt ipsi testantur, *Ier. I. Zeph. I.* Sed et Hulda prophetissa, vaticinata diuinitus extrema genti Iudaeorum, cum sublatus foret Iosias, *2 Reg. XXII. 14.*

17. *Ioachaz*, qui et Iohanen, Sallum, Rex malus, trium mensium gauisurus regno in Aegyptum abduendus, *2 Reg. XXIII. 2 Chron. XXXVI. Ierem. XXII. 11.* Vt Religio sic Respublica sub hoc ruere coepit, omnibus sensim collabentibus.

18. *Iehojakim*, vel Eliakim, fratri datus a Pharaone Necho successor, Rex impius, regnat annos circiter XI. tandem tributarius Nebucadnezari, *2 Reg. XXIV.* anno eiusdem IV. inchoato, Nebucadnezaris primo. Hinc initium sub eo Captiuitatis Babyl. Vide et Iosephus *L. IX. C. VII.*

Prophetae Ieremias, et Vrias alter *Ier. XXIV.* occidendus hic ob infesta vrbi vaticinia.

19. *Ioiachimus* vel Iechonias, haud multo melior, trium mensium Rex, mox deportandus, et captiuus per annos 37. *2 Reg. XXIV. XXV.*

20. *Mattania* omnium postremus, qui et Zedekia, Rex malus, regnat annos XI, *2 Reg. XXIV. XXV.* Iosepho *Lib. X. C. X.*

Prophetae Ieremias, Ezechiel, Daniel, et vt plerisque visum Obadia.

III. Ex annis singulorum Regum colliguntur anni, inde a Roboamo ad excidium Templi, fere CCCXC. Ita tamen vt de hac summa nonnihil sit detrahendum, vt annos

Chronologicos habeamus, si conferantur ad *Period. Iulian.*

De his ex professo Commentatores, et Chronologi insigniores, Tornellus, Salianus, Scaliger, Haruillaeus, Petavius, Capellus uterque, Caluifius, Visserius, Baillius, etc. et Catallaëdici haud pauci Scriptores, ac Parens noster in *Dub. Euang.* Ioh. Buxtorfius in *Anti-Criticis* aduersus Lud. Capellum, alii.

III. Corruptio Religionis in ipso Iudae Regno. Reformationes insigniores.

I. Ut incepit Iudae corruptio sub Roboamo, post laudabile *triennium*, sic *αὐτὸν* eiusdem fuit cumprimis sub Athalia, Achazo, Manasse et Amone Regibus. Hic Religio penitus collapsa, populus seductus, Templum spoliatum, clausum, Arca ipsa loco suo mota, ex 2 *Chron.* XXXV. 3. Sacra contaminata, Prophetæ male habitæ, Gentium Idola culta, ut Baal, Molech, Astaroth, Baalzebub, etc. his statuae, Luci, Excelsa, Altaria, Tempa dicata, sanguine etiam humano libatum, victa denique iacuit pietas, atque erupit *venae peioris in æuum omne nefas.*

II. Reformatio vero suo tempore instituta fuit, tum impulsu *Prophetarum*, qui nunquam defuerunt; tum auctoritate optimorum *Principum*, in quibus tres prae caeteris excelluere, Iosaphatus, Ezechias, et Iosias, singuli tamen notati suis naevis. Duos tantum ex iis recenset Siraçides, *Ecclesiast. Cap. XLIX. 5.* omisso Iosaphato.

Modus reformationis praeprimis fuit, tum in destructione Idolorum, Excellorum, quae identidem Successores, ut Manasses, Ammon, instaurabant; tum in summotione reliquiarum omnium Idololatriæ cultus; tum in reuurgatione Templi, et Ordinis omnis sacri; tum in reuocatione Festorum, maxime solemnæ *Paschatis* illo sub Ezechia 2 *Chron.* XXX. 2. et sub Iosia 2 *Chron.* XXXV. 18. tum in renouatione Foederis cum Deo, adactæ in sacramentum populo, et praelecto Mosis autographo, 2 *Reg.* XXXIII.

XXXIII. 2. 2 *Chron.* XXXIV. 30. 31. tum in pietate, ipso Regum exemplo, accendenda, ac postliminio quasi reuocanda. Reliquiae tamen prioris impietatis plurimae, ex querelis passim Esaiæ, Ieremiae, Ezechielis.

III. Tribus istis eximis Reformatoribus impii fuere Filii et Successores, per quos iterum omnia collapsa. **A** *Iosiae* autem excessu nulla amplius instauratio fuit, sensimque ad interitum vergere Politia et Ecclesia, et adparere seruitutis auspicia, statim in *Ioachazo*, in Aegyptum abducto, ac deposito a Pharaone Neco, 2 *Chron.* XXXVI. Ac praedixit temporum calamitatem Ieremias vates.

IV. Prophetæ hac Periodo insignes. Libri Prophetici.

I. Praeter *Sacerdotes* qui ordinarie sacra in Templo peragerent, excitauit Deus quoque *Prophetas*, qui stante Regno utroque, tum ordinarie in Scholis traderent verum Dei cultum *filii Prophetarum*, tum extraordinarie in Aulis, Urbibus, Regno, Ecclesia, Prophetico munere fungerentur.

II. Fuere autem alii qui ore tantummodo, alii qui etiam *scripto* Ecclesiam docuerunt: Alii in Regno *Iudaeæ*, alii in Regno *Israelis*, alii in *utroque*: Alii nominatim expressi, alii autem anonymi, vt in superiori Regum serie videre est: Quin et *Prophetissæ* foeminae, in quibus *Hulda*, vel *Chulda*, *Iosiae* tempore 2 *Reg.* X. II. 15. etc.

Videturque omnino *Regum historia* Canonica ex istorum *Aduersariis* et *Commentariis* contexta, inuente et *Iosepho* contra *Appion.* *Lib.* I. et haud obscure *Libris Paralipomen.* vbi de rebus *Davidis*, *Salomonis*, *Roboami*, *Iosaphati*, 1 *Chron.* XXIX. 30. 2 *Chron.* IX. XII. XX. etc. Hinc *Libri Regum*, vt *Samuelis*, inscripti *Hebraeis* titulo *Prophetarum priorum*.

III. *Prophetarum posteriorum* Libri, seu *Maiorum*, seu *Minorum*, utique non digesti sunt ordine temporis quo scripserunt aut prophetarunt. Nec de serie satis inter *Hebraeos*

braeos aut Doctos conuenit, quorum illi variam instituunt, ubi de *Cabbalae* suae successione, in *Iuchasin*, *Txe-mach*, etc.

Antiquissimus multis creditus *Ionas*, *ὄνυχρον* Ieroboamo II. et Amasiae 2 *Reg.* XXIV. 25. nec filius tamen ille uiduae Sareptanae, de quo 1 *Reg.* XVII. 22. vt tradebant, Hieronymi iam aetate, Hebraei.

Contemporaneus creditus *Ioel*, in *Seder-Olam* recentior, nonnullis antiquior, ac praenunciator famis illius quae 2 *Reg.* VIII. 1. 2. Ioramo Rege Israelis.

Amos, *Hoseas*, *Esaïas*, *Micha* certae aetatis, vel ex Librorum exordio, quae se protendit a temporibus Ieroboami II. et Vzziae Regum, ad Ezechiae vltima, deportaris iam X. Tribubus. Prophetandi occasionem tempora suggesterunt. De *Esaïa* Hebraei et Patres incerta nonnulla. v. gr. Prophetasse etiam sub Manasse, *Esaïae* hunc generum fuisse, ferra sub hoc rege prophetam eundem dissectum etc.

Nahum alius anterior captiuitate X. Tribuum, ex *Cap.* I. 14. ubi Senacheribi interitum praenuntiat; alius posterior, vt in *Seder-Olam*.

Habakuk probabiliter sub Iosia, praenunciator instantis Captiuitatis, *Hab.* I. 5 etc. Hebraeis filius Scunamitidis, ex voce Hebraea חבקוק quae est 2 *Reg.* IV. 16.

Zophonias vel *Zephanias*, eiusdem aetatis, *Zoph.* I. 1. graui tum Iudae et Hierosolymis vaticinio. Sed et liberationem ex Captiuitate praedixit, ac vocationem Gentium. Abauus illi Ezechias.

Ieremias huic quoque *ὄνυχρον*, *Ier.* I. 1. diutissime vaticinatus, ante et post Captiuitatem, in Iudaea, in Aegypto, incerto termino vaticiniorum. Vetus est de Platone Fabula, de qua et Augustinus, ex Ambrosio, de Doctr. Chr. *Lib.* II. C. XXVIII.

Obadias, in Edomitis grauis, plane aetatis incertae, Hebraeis idem qui 1 *Reg.* XVIII. 3. 4. in diebus Achabi. a similitudine nominis.

IV. *Falsi*

IV. *Falsi* Prophetæ in Regno utroque innumeri, in quos passim inuecti Viri Dei, Esaias, Hoseas, Micha, Zephania, Jeremias et Historia S. 2 *Reg.* XVIII. XXII. etc. postea quoque Ezechiel, ac Nehemias, C. VI. 14.

Boni tamen quandoque etiam Prophetæ ex tractu *Gallilææ*, quicquid Pharizæi negarent *Ioh.* VII. 52.

V. Finis Regni Israëliti, et Deportatio Tribuum Assyriaci.

Huius obseruari debent,

1. *Antecedaneum* proximum, deportatio tribuum trans-Iordanicarum, et tribus Nephtali, sub Pekacho, 2 *Reg.* XV. 29. secundum Magistros annis XVIII. ante reliquas tribus. Auctores Phul et Tiglat-Phul Assar Assyrii.

2. *Tempus* vltimæ deportationis, anno VI. Ezechiac, IX. Hoseæ Israëliti, de quo testimonium 2 *Reg.* XVII. 2.

3. *Causa*, iudicium Dei pridem denunciatum 1 *Reg.* XIV. 15. et impietas Israëliti, nequicquam Aegyptiorum opem implorantis, 2 *Reg.* XVIII. 4.

4. *Auctor*, Salmanasser Rex Assyriorum, a quo Samaria tandem expugnata. Hic est Magistris idem cum Sennacheribo, sed male.

5. *Loca* transportationis, terra Assyriæ, Mediæ etc. et remotissimi Orientis tractus, plurimis et in Aegyptum atque Africam profugis, 2 *Reg.* XVIII. II. Iosephi *Lib.* IX. C. XIV. Miræ hic Fabulæ Iudæorum, de fluuio Sambatnone vel Sabbathico, de regione מדינת סבטת Preti Iohannis, de Israëlitiis hodieque regnis, etc.

6. *Duratio* seruitutis, perpetua illa, saltem indefinita, secus ac fuit Captiuitas duarum Tribuum. Quamquam tamen certum plurimos ex Israëlitiis rednces factos esse in Iudæam, simul cum reductione duarum Tribuum ex Captiuitate Babylonica, *Ierem.* I. 4. *Esai.* XI. 12. Certum quoque reliquias quasdam Israelitarum ab Assyriis permixtas esse manere intra Patriæ fines; permixtas profanis Gentibus habitatione, cultu. Certum denique sub aduentum

tum Messiae, spiritualis illis liberationis lucem affulsisse, *Esai. IX. 1. 2. Matth. IV. 15. 16.* multis ex Tribubus τῆς διασπορᾶς, et perditis ouibus Israël, ad fidem Christi conuersis.

VI. Samaritanismi origo, primordia. Hellenismi initia. Graecorum et Romanorum sacra.

I. Suffectis in terra Israël, in captiuorum locum, nouis ex Syria, Assyria, Babylonia, Persia, etc. colonis, noua ibi sacra, noua Religio ex commixtione sacrorum et profanorum rituum, exorta, *Samaritanismi* nomine, et Gens noua *Samaritana*, 2 *Reg. XVII. 24.* et seq. Ratio *nominis* a loco in quo hic cultus primum natus; *occafio*, ex immiſſis leonibus in nouos Idololatrias; *progressus*, in multiplicatis Sacerdotibus, et Excelsis, donec postea abirent in Iudaeorum aemulos, et in Sectas varias, cum ex dicto Capite constant, tum ex Iosepho, in fine *Libri IX. Epiphanio, Pan. Lib. I.* etc.

Quod uero de immiſſis *leonibus* Scriptura, Iosephus *λοιμὸν pestem* reddit, dicto loco.

Dicta alias haec gens Samaritanorum *Chutaea χεδάιοι*, translata nempe ex parte מרחמיאל *de Cutha* ex τῆς χεδῆς καλεμῆνυς χώρας. Iosephus in Perside locat, alii in Arabia, quae gens uerius ex Trans-Tigritana regione, ubi *Chus, Chusestan, Cossaei*, Mediae et Assyriae ad Austrum.

II. Currente hac Epochae florere quoque incepit *Hellenismus*, seu Theologia Graecorum, anticipante nimis Epiphanio, quoad huius natales,

Clari iam tum uetustissimi Graecorum *Poetae*, Hesiodus, Homerus, Orpheus, Linus, Musaeus, Eumolpus, Stesichorus, Simonides, Alcaeus, Sappho foemina, etc. aetate singulorum haud ita certa.

In *Philosophis*, circa finem huius Epochae, clari iam VII. Graeciae Sapientes, et contemporanei fere Anacharxis, Phe-

Pherecides, Pythagoras Samius, Ezechieli hic contemporaneus, imo familiaris creditus.

In *Legislatoribus* ad eandem refertur sane Lycurgus, Lacedaemoniorum, etiam Draco et Solon Atheniensium, ac fere Zaleucus Locrensiū, Charondas Catinensium in clyti Legislatores, quibus et diuini honores habiti; de quibus Historia Exotica.

Floxit autem Graecorum Theologia ab *Aegyptiis*, *Chaldaeis*, *Phoenicibus*, vel Herodoto, Diodoro, aliisque testibus, ipsaque illa Theologia teste, seu *Fabulosa*, seu *Naturali*, seu *Ciuili*, de quibus in Veteribus Clemens Alex. Eusebius, Epiphanius, Augustinus. Quamuis primos se omnis sapientiae auctores ac inuētores Graeci falso iactarent.

Omnium maxime ad superstitionem nati *Athenienses* vulgo Θεῶν προΐταί, *Deorum vindices*, hinc feruētissimi iudices Anaxagorae, Diagorae, Protagorae, Socratis ob spretam superstitionem. Huius adhuc vestigia aetate Pauli Act XVII 16, ne Θεῶν ἀγνώστον (de quo et Pausanias, Lucianus, alii) praetermissura in cultu suo Gente. Act. XVII. 16. 23.

Seetae in Philosophis Graecis exortae, nondum huius Periodi sunt.

III. Spectat huc quoque origo Theologiae *Romanorum*, auctore Numa Pompilio, Ezechiae Regi coaetuo, a Terentio Varrone pridem descriptae, tum Halicarnassaeo, Liviō, Plutarcho, eto. et ex his in pluribus ab Augustino, Libris de *Ciu. Dei*.

Consistit eadem initio cum primis in *Haruspicum* et *Augurum* disciplina, quae Hetrusca, a Gente illius cultrice, appellata est. Vnde nihil agere vetustissimi Romanorum, domi forisque, in pace, in bello, in consiliis, expeditionibus, foederibus, nisi consultis primū *auguriis*, auium volatu et cantu, quarum aliae auspicatae, aliae infastae; item *haruspiciis*, *extispiciis*, ante, in, et post hostiarum sacrificia, vnde illis de Deorum voluntate iudicium fuit.

fuit. Qua et superstitione fuisse Iulianum Apostatam, refert Ammianus Marcellinus. Sed et indubium habuisse uti Graecorum, sic quoque Romanorum prisca instituta, haud pauca quae cum mosaica disciplina congruerent circa Dies festos, Imagines, Pollutiones, Lotiones, Ministros sacerdotum, Ritus sacrificiorum, Oblationum, Foederum, Asylosum etc.

Crevit valde superstitio cum incremento Imperii, Hinc Dii *primi, secundi, tertii* ordinis; Dii Conesentes, Indigetes; Dii qui praeesent Tempori, Loco, Generationi, Aetatibus hominum, Morbis, Funeri, Sensibus, Actionibus, Passionibus, Disciplinis, Oeconomia, Politiae, Agris; Dii Peregrini, Statuae, Simulachra, sine fine; ut omnium Gentium Numina Romani colerent, sapientioribus in *Vnum summum* erectis. De quibus praecacteris nuper Gerh. I. Vossius, Eduardus Herbertus, Alex. Ross. et si qui alii.

EPOCHA SEPTIMA.

A

CAPTIVITATE BABYLONICA AD FINEM EIVSDEM.

I. Captivitatatis Babylonicae tres gradus. Initium LXX. septimanarum vnde?

I. **H**uius referuntur in Historia S. tres potissimum gradus, aliis *quatuor* numerantibus, de quibus Iosephus *Lib. X. Cap. VII.* et seq.

1. *Prima* transmigration facta sub Iehoiakimo Rege Iudae, (dicitur *Ierovias Matth. I. II.*) qui anno Regni IV. inchoato, Nebucadnezaris primo, factus est huius tributarius, *Ier. XXV. 1. Dan. I. 1.* (deuicto ante per Babylonium Pharaone Aegyptio, *Ier. XLVI. 2. 2 Reg. XXIV. 7.*) Anno VIII. grauiori seruitutis iugo pressus, *2 Reg. XXIV. 1.* anno vero XI. tribus post annis, ob rebellionem vincus, et inter-

terfectus, multi etiam Babylonem deportati, et in iis Ezechiel puer, 2 *Chron.* XXXVI. *Ier.* LII. 28. *Ioseph.* L. X. C. VII VIII.

2. *Secunda*, sub Ioachino vel Iechonia filio, anno huius l. post trium mensium regnum, ac Nebucadnezaris VIII. ex 2 *Reg.* XXIV. 8. et seq *Iosephi Lib.* X. C. IX.

Transportati Rex, Mater, Optimates, Sacerdotes, Prophetæ, Artifices, alij bene multi, etiam Mardocheus, et Iehoiadah Pontifex, *Ierem.* XXIX. i. 2. 26. *Esth.* II, 6.

3. *Tertia* sub Zedekia, rebellante in Nebucadnezarem anno regni sui IX. Nebucadnezaris primi XVIII. Vnde Hierosolyma tertium obsessa, intra biennium capta, Templum excisum, (stetit ann. completos circiter CCCC. certe non plane CCCCXXX. *Iosephus Antiq.* L. X. C. XI. dicit Templum stetisse, a sua fundatione, annos CCCCLXX et VI mens. a transmigratione ex Aegypto, annis MLXII. mens. VI etc. insigni μεταχρονισμῷ.) Rex vincetus et excoecatus, vna cum subditis transportatus, relictis agrorum causa tenuioris fortunæ hominibus, nonnullis in Aegyptum transfugis, *Ier.* XLIII. 6. 7. LII. 29. 30. 2 *Chron.* XXXVI. 2 *Reg.* XXV. *Iosephi Lib.* X. C. X. XI. Frustra Aegyptii obsidionem soluere moliti, *Ier.* XXXVII. 7.

Hic Nebucadnezar qui expeditionem suscepit, filius fuit prioris, *Ioseph.* L. X. C. XI. sub finem. Prior alias Nabopolassar, vel Nebucadnezar pater seu primus, alter Nebucadnezar filius, etiam Magnus.

Quinquennio post, *Nebucadnezaris* XXIII. reliquiae Iudaeorum, occiso Gedalia, quem iis praefecerat Nebucadnezar *Ier.* XLII. pariter abductæ, et Terra penitus vastata, *Ier.* LII. 30. Tyrus hinc vetus, Palaetyrus, nobilissimum totius gentis emporium, a Babylonis obsessa, et post annos XIII. certis conditionibus dedita, secundum alios et Marshamum, penitus excisa. Sed et Gentes finitimæ subactæ, praedicente Ezechiele *Cap.* XXIV. XXV. XXVI. Successit vero Tyrus noua et Insularis, ab Alexandro M. deleta. Tum quoque et subacta *Aegyptus* a Nebucadnezare,

zarc,

zare, inde a Sin ad Syenen vsque, praedicientibus vatibus *Ezech.* XXIX. XXX. *Ier.* XLIII. XLVI. etc. Praecesserat excidium *Niniues*, per Cyaxarem Medum, huius nominis I. post excessum Seytharum iugum, inita affinitate inter Medum et Babylonium, vt pluribus Herodotus in *Clio*. Amplissima huius vrbis, ad Tigrim sitae, quae iuxta Diodorum complexa fuit in suo ambitu stadia CCCCLXXX. fata praedixerant Nahum *Cap.* III. 8. et Sophonias *C.* II. 13.

II. Ex tribus hisce Captiuitatibus, a qua initium sumant anni LXX. quibus Captiuitas definita fuit, *Ierem.* XXV. XXIX. 2 *Chron.* XXXVI. *Dan.* IX. 2. controuersum est.

In *prima* constituunt huius Epochae caput post Eusebium in Chron. Sulpicium, Lyranum, Petauius, Vsserius, Baillius, Ioh. Marshamus, etc. Id est ab anno IV. Ich oia-kimi Regis. Et recte hi quidem iuxta Ieremiam, dum huius exilii attendit non initium sed durationem, annis LXX. circumscriptam, *Cap.* XXIX. 10, et iuxta Danielelem *Cap.* IX. 2, ac Ptolomaei Canonem.

In *secunda* potior numerus Chronologorum et Interpretum, cum Iosepho Scaligero. Inducti calculo Ezechielis *Cap.* I. VIII. XX. XXXVIII. etc. Non animaduertentes, numerare annos Ezechielem ab Epochae suae deportationis *Ezech.* XL. 1. Deportatus Ezechiel annis XI. ante excidium vrbis, et annis VIII. post primam deportationem.

In *tertia* Iosephus, Clem. Alex. Veteres plerique, et Salianus, Pererius, Funccius, alii: moti potissimum excidio Vrbis et Templi, ac terminaturi annos LXX in annum II. Darii, sed male, vel ex 2 *Chron.* XXXVI. 21. 22. *Dan.* IX. 2.

Singulae suis rationibus sententiae subnixae, *priorum* alterutra potior: Magis errarunt inchoantes a XIII. Iosiae, apud Eusebium in *Chron.*

II. Status Ecclesiae sub Captiuitate Babylonica.

Huc faciunt

1. *Defectiones* Iudaeorum, nec omnium, ad superstitiones Gentium sub Captiuitate, passim Ezechiele conquesto, *Cap. XX. XXI. XXXIII.* Hinc summa corruptio in terra Captiuitatis, ac mox a Captiuitate, et pro defectio- nibus iustus, ieiunium *Esd. IX. Nehem. IX. X.* qualiter et *Dan. IX.* Signant ex opposito alii in terra Captiuitatis disperforum *Iudaeorum Conuersionem*, vt vnum ex *signis temporum*, et huc trahunt vaticinium Salomonis *I Reg. VIII. 47* etc. Sane pii multi tum ingemuere, memores promissionum diuinarum.

2. *Miracula* varia, ad Ecclesiae conseruationem, ac solatium, sub Nebucadnezare, Balthazare, Dario Medo, diuinitus patrata, *Dan. II. III. IV. V. VI. Capit.* Vbi *quaestiones* illustres, de quibus ad Danielelem, Interpretes, et Eruditi passim.

3. *Scholae*, purioris Sapientiae domicilia, verosimi- liter auctoritate Danielis, toti Babyloniae, post et Mediae praefecti, passim erectae. *Prophetae* etiam nonnulli conseruati, Daniel, Ezechiel, Ieremias, praeter Baruchum, Mardochoeum, etc.

4. *Sacra Volumina* conseruata, quae periisse cum Vrbs excidio, ab Esdra restituenda, non sine miraculo, re- fert Pseudo-Esdras, *Lib. IV. C. XIV.* somniorum venditor, et crediderunt plerique Patres, et Latini in hunc diem, sed Traditionis vanitate nimis obuia, vel ex Daniele *C. IX.* et Iosepho *Lib. XI. C. I.*

Periere tamen *Autographa* cum Templi excidio, *apographis* post ab Esdra recensitis, ac digestis, vt do- ctissimi in Veteribus, et in Magistris tradunt.

5. *Conuentus priuati* Iudaeorum ad preces, ad ieiunia, ad lectionem Mosis et Prophetarum, ad institutio- nem Propheticam, ad hymnos sacros, vt colligitur passim ex Ezechiele *Cap. VIII. i. XIV. i. XXXIII. 31.* etc. ex Da- niele, *Cap. VI. 10, 11. IX. 2, 3.* ex Ieremia, *Cap. XXIX. 7.*

ex

ex Zacharia, *Cap. VII. 5. VIII. 19.* ex Pfallinis nonnullis, vt CII. CXXXVII. etc.

6. *Conseruatio* in ipsa captiuitate Ordinis Sacerdotalis, Leuitici, Summi Sacerdotii, Familiarum principum, etc. vt ex Esdrae et Nehemiae historiis planum, *Esd. II. V. II. Neh. XII.*

7. *Poenae* de superbis Regibus sumptae, *Nebucadnezare* Magno, et *Baltasare* vel *Belszare*, qui aliis idem cum Euilmerodacho, *2 Reg. XXV. 27.* communis eiusdem filius, tertius vero ab isto apud Iosephum. *Lib. X. C. XII.* Sub hoc imperium translatum ab *Assyriis* ad *Medos*, *Dan. V. 28.* tum a *Medis* ad *Persas*, sub *Cyro*.

8. *Diplomata* in fauorem Iudaeorum, et Iudaici cultus, expressa *Nebucadnezari*, *Dario*, et *Cyro* Regibus. De *conuersione* eorum Regum, Hieronymo et aliis asserta, merito controuertitur. *Mittimus Apocrypha.*

Dubium vero huiusne Epochae sint res *Esphae*, vt pridem *Clem. Alex. Cedrenus*, etc. et nuper *Marshamus*, in suo *Canone Chronico*, cui *Ahassuerus* est *Cyaxares Medus*.

III. Prophetae qui scripserunt hac Epochae.

In his supersuere,

1. *Jeremias*, continuans sua vaticinia, ante et post Vrbs excidium, in Iudaea primum, inuitis Regibus, (*Scriba eius Barucho*) tum in Aegypto, *Ier. XLII. et seq. Threnos* et illi *Iechoniae* Captiuitas expressit, diuerfos a prioribus, de quibus *2 Chron. XXXV. 25.*

Solatur captiuos literis, vaticiniis, praedictione temporis, et vtriusque liberationis, ac confundit Pseudo Prophetas sibi aduersos, *Ier. XXVIII. XXIX.* Ineptit vero Scriptor nuperus *Tractatus Theolog. Polit.* desiderans ordinem Historicum, in scripto Prophetico. Nam modo de futuris, modo de praeteritis sermo, vt *Cap. XXII. a Zedekia*, cui praedixit exitum, transit ad praeterita in *Iehoiakimo*, quae narrat terrendis legatis *Zedekiae*.

II. *Daniel*, abductus cum sociis sub Iehoiakimo, coepto prophetandi munere ab interpretatione somniorum, Nebucadnezaris Magni anno II. ac continuato ad annum Cyri III. *Dan.* II. 1. X. 1. Absurde Magistri *Eunuchum* fuisse dicunt.

Testimonium illi ut Prophetae, καὶ ἐν τῶν μεγίστων, perhibet Iosephus, *Lib.* X. C. vlt. iterum *Lib.* XI. C. VIII. et Ezechiel *Cap.* XXVIII. 3. et Christus *Matth.* XXVI. 15. et anteriores Rege Antiocho Graeci Interpretes. Ac loquantur praedictiones, et vaticinia admiranda, de mutationibus cum in Republica, tum in Ecclesia, cum ante tum post Messiae exhibitionem, sub Chaldaeis, Persis, Graecis, Romanis, maxime sub Antiocho, tum sub Messia.

Audaacter igitur, et imperite simul, Auctor *Tractatus Theolog. Polit.* 1. Septem Capita priora negat esse Danielis, scilicet ob admixtam historiam, et Chaldaicum idioma. 2. Visionem primam *Capite* VII. facit alterius scriptoris, indiuulso licet nexu coniunctam cum Visione secunda *Cap.* VIII. 3. Librum Danielis pro Historico, cum Iudaeis suis, habet, cui connectatur Liber Esdrae, eodem scilicet Scriptore. *Aude aliquid breuibus Gyaris, etc. si vis esse aliquis!* De LXX. hebdomadam Epocha, *Dan.* IX. audacior et supputatio nupera Illustris Marschani, ad *Saec.* XVIII.

III. Ezechiel, Daniele in officio Prophetico nonnihil iunior, ex Sacerdote Propheta, coepit ministerium Babylo-
ne, *Ezech.* I. 3. beatus prima Visione annis V. a deportatione, annis XXX. a solemnibus renouatione Foederis, *Ezech.* I. 1. 2. 2. *Reg.* XXXIII. 23. sexennio ante excidium Urbis, et Templi, de quo vaticinatus est.

Ex hac insigni Epocha Ezechielis signata, et ex modo incipiendi familiari Hebraeis, ידבר et factum est, ex verbis *Cap.* 1. 3. *Factum fuit verbum Iehouae ad Ezechielem*, insulse Auctor dicti *Tractatus Theol. Polit.* colligit esse hunc Librum modo fragmentum, et continuationem aliquam rerum.

Prodit et pessimum studium dum praedictionem Ezechielis apud Iosephum, *Lib IX. C. X. Zedekiam non visurum Babylonem*, committit cum illa Ieremiae vatis, et ipsius Ezechielis (ap. XVII. 20. de Zedekia *ducendo Babylonem*. Dissimulavit vel nesciuit quae addit et explicat Iosephus, initio fere Capitis XI. ostendens utramque fuisse adimpletam praedictionem.

Praedixit uti ruinam sic instaurationem Templi, cum veri tum mystici, magna descriptione a *Cap. XL annis XIV.* a Templo priore exciso. Iudaei hinc *tertium* expectant, de quo fabulae plures Magistrorum.

Neque Iudaeorum neque Christianorum interpretatio posteriorum novem capitum Ezechielis eius generis est ut possit admitti. Iudaeorum sententiam, qui tertium adhuc templum esse expectandum somniarunt, refellere superfedeo. Et christianorum interpretum explicationes mihi quidem omni veritatis specie destitutae esse videntur. Fieri certe nequit ut dicta capita proprie de templo secundo explicentur: et quod ad mysticam interpretationem attinet, illa sane ita comparata est ut nullo modo possit probari; etenim non per totam orationem sensus mysticus, quem volunt inferre, potest accommodari, sed tantum modo hic illic aliqua particula eam explicandi rationem ferre posse videtur, quam amare solent Mystici. Breui cum orbe litterato communicabo dissertatiunculam Viri docti, quae novam et, ut videtur, valde probabilem de his novem capitibus, sistit coniecturam. *V.*

Prophetavit adhuc XXVII. anno a deportatione Iechoniae, *Ezech. XXIX. 17.*

IV. Apocrypharum Historiarum incerta.

Ad haec fere tempora referuntur historiae an fabulae *Tobiae, Iudithae, Baruchi, Susannae, Beli et Draconis, Additionum ad Estheram*, etc. De quibus prolixè prae reliquis Raynoldus, Chamierus, Parens noster, *Disputationibus de Apocryphis*. Sed et novissime de hisce libris

libris in *Euangelica Demonstratione* Dan. Huetius, facturus rem Christianae rei magis vtilem, si non parem Apocryphorum demonstrationem, quae Canonorum, esse voluisset.

I. *Tobiae* vel *Tobithae* historiam vt Hebraeus Canon, sic Iosephus tacuit, fictae narrationis compluribus argumentis. Incipit a deportatione *Tobiae* cum Filio per *Salmanastarem*, *Cap. I. 10.* et tamen meminit ex *Versione Hieron. Templi incensi, Cap. XIV. 7.* imo *Ninives* post subuersae per *Nebucadnezarem, Cap. XIV. 16.* ante *Tobiae filii* excessum, longiore iam Epochae (certe annorum haud paulominus *CXL*) quam quae annorum huius *Tobiae* fuit.

II. *Iudithae* narratio, de insigni liberatione Populi Dei ab Assyriorum manu, anno Regis *Nebucadnezaris, XVIII.* etc. et Iosephi ac Hebraeorum veterum silentio, et anachronismis, et fictis Regibus, et multis indicibus aliis fabulosa, frustra torfit Eruditos, quam ad Epocham referrent. Nec ad tempora certe antecedentia Captiuitatem (quicquid ad *Manassis* illa Huetius) nec ad subsequentia, spectare potest, Assyriorum mox euerso per *Medos* imperio. *Grotio* sunt nomina omnia parabolica et *αἰνυματώδη*, vt illud *Iudithae, Bethuliae, Nebucadnezaris, Holophernis.*

III. *Baruchi* Liber huius Epochae foret, lectus vt pote (vt refert) anno V. Captiuitatis, *Bar. I. 1. 2.* nisi fraudem Scriptoris vel Exordium multis nominibus argueret.

IV. *Susannae* in Captiuitate agentis drama, et alterum *Beli* Idoli Chaldaeorum, a *Daniele* destructi, et *Draconis* interempti, et *Habacuci* *Babylonem* translati, distione, silentio Iosephi, argumento, pugna cum Canonis, etc. sese produnt.

Additiones ad *Estheram* historiam Canonicam euertunt, *Hellenistae* alicuius otiosa commentatio, nec Veteribus admitta.

SOLVTA CAPTIVITATE PER CYRVM,
AD HASMONAEOS SIVE MACCA-
BAEOS.

I. Edictum Cyri pro libertate Iudaeorum.
Retardata executio, et quovsque.

I. **M**emoratur hoc Cyri Persarum Imperatoris Edictum pro reditu Iudaeorum, et instauratione Templi Hierosolymitani. *Esar. I. 1. 2 Chron. XXXVI. 22.* Cuius factae a Cyro potestatis observantur,

1. *Tempus*, annus *primus* Cyri, Babylone scil. imperantis, et *septuagesimus* a Captivitate secundum praedictionem. Cui computo concinit Canon Babylonicus apud Ioh. Marshamum.

2. *Edictum* ipsum ab Esdra exhibitum, in quo *omnia regna Terrae* iam tum data fuisse Cyro memorantur.

3. *Occasio*, monstratum Cyro Esaiæ de ipsomet oraculum, *Es. XLIV. XLV.* ex Iosepho *Lib. XI. C. I.*

4. *Causa superior*, Dei in Ecclesiam suam providentia, et impletio oraculorum, *Esai XLIV. 28. Jer. XXV. 12.* qualia et praecesserant de excidio Babylonis per Cyrum, *Esai XLVII. Jer. LI. etc.*

5. *Effectus*, *Vasorum* sacrorum restitutio, profectio Zorobabelis Ducis, non Regis sed *ἀρχιμαλακάρχεις* (sectus enim praedictum *Jerem. XXII. 30*) cum Iosua Pontifice, Nehemia, Seraia, Mardochoaco etc. et Iudaeis innumeris; denique initium sacrificiorum, et Templi secundi prima fundamenta, inter hymnos, lacrymas, vota. *Esdr. I. II. III.*

Dubia vero in his nonnulla sunt. *Primo* de genere Zorobabelis, qui filius Salathielis *Matth. I. 12*, et apud Lucam, filius Neri, *Luc. III. 27*, at *1 Chron. III. 19.* filius Pedaia. Sic Zorobabeli filius Abiud *Matth. I. 13*, dum apud

apud Lucam filius illi fuit Resa *Luc.* III. 27. De quò adi, prae caeteris, Parentem nostrum *Dub. Euang. P. I. Dub.* XXII.

Secundo, dubium de Mardocheo reduce cum Zoro-babele, idemne cum illo, de quo in Historia Estherae, an diuersus? Sed difficultatem expediet tempus, in quod Estherae et Ahasueri gesta coniiicimus, Capite sequenti.

Tertio, dubium vnde area Templi secundi, *Esdr.* VI. 3. altitudine et latitudine maior esse videatur illa Templi prioris? *1 Reg.* VI. 2. Quanquam posteriore loco altitudo XXX cubitorum ad primam contignationem non ad molem vniuersam, referri posse videatur, collatis *2 Chron.* III. 4 et Iosepho.

II. Intercessit vero vltiori restitutioni, et aedificationi Templi non vnum *impedimentum*.

Huiusmodi fuere, Samaritanorum apud Iudaeos seu Chutaeorum artes, calumniae in eisdem apud Cyrum, mors Cyri Regis, calumniarum continuatio apud Ahasuerum, et Artaxerxem, *Esdr.* IV. 1. 2. 3. et seq. Quo referatur luctus Danielis, anno Cyri tertio, *Dan.* IX. 3.

Durauit retardatio ad annum vsque II. *Darii* Regis, quo demum strenue coepta Templi instaurationi, dedicandi anno eiusdem *Darii* VI. apud Esdram, Haggaeum, Zachariam, de his et Iosephus, *Lib.* XI. Cap. II. III. IV.

III. Dubium vero cumprimis, quis ille apud Esdram, post Cyrum, *Ahasuerus*, quis *Artaxerxes*, quis *Darius*? Nec probabilis sententia Scaligeri, *Ahasuerum* esse demum *Xerxem*, *Darium* vero illum esse *Darium Nothum*, nulla sic in Esdra mentione *Cambysis*, *Smerdis*; *Darii Hystaspis*, de quibus multa Iosephus, dicto loco.

Dubium etiam qui Templum secundum annis XLVI. structum memoretur, *Iob.* II. 20. Nondum enim tot anni a *primo* Cyri Babylone regnantis ad VI. *Darii* *Hystaspis*; plures vero fluxere vsque, ad VI. *Darii* *Nothi*, imo vitra CXX. Quare de Templo Herodiano infra interpretamur.

II. Historia Estherae et Mordochaei. Ahassuerus ille quis?

I. Historia multis nominibus insignis, instituto et in rei memoriam a Iudaeis Festo *Purim*, seu sortium, *Esth.* III. 7. IX. 19 etc. At controuersum est tempus; et sententias quidem Chronologorum pro *Dario Medo*, vel *Cambyse*, vel *Xerxe*, (quae Scaligeri, et sequacium,) vel *Artaxerxe Longimano*, quae Iosephi pridem L. XI. C. VI. proluxissime expendunt Chronologi, et nuper Bailii Operis Chronolog. *Lib. I.*

II. Duae omnium sententiae maxime probabiles, quarum prima, esse eundem cum *Cyaxare* iuniore, Medo-Perfarum Rege, filio Darii Medi seu Astyagis, socero Cyri Regis: a quo exutus regno fuit. Conueniunt nomina *Ahasuerus* et *Cyaxares*, cuius filius Darius scil. Medus ex *Dan. IX. i.* sedes Imperii Susae, temporis ratio, innumerablem Iudaeorum per Medo-Perfiam multitudo, etc. Et sic diuersus fuerit ille Ahasuerus Perfarum Rex, de quo *Esd. IV. 6.*

Si vero *Ahassuerus* vnus omnino censeatur ex Perfarum Monarchis, idemque cum altero *Esdrae IV. 6.* indubie fuerit potius *Darius Hystaspis*. *Ahassuerus* hic Hebraeis dictus communiori appellatione, prout *Xerxis* et *Artaxerxis* nomina fuisse communia, multis alias Eruditi, ad *Esdrae Cap. IV.* In hunc vero Monarcham, verius quam in Perfarum alium, quadrat consideratio Mordochaei adhuc viuentis, et tamen cum Iechonia deportati, *Esth. II. 5. 6.* mentio Regis illius mox a Cyro, *Esd. IV.* sic consideratio Vxorum, Potentiae, Opum, habitationis Susanae, Regni diuturni, etc.

III. Instaurationis et Religionis et Politiae Iudaeae. Auctores. Lingua, alia post Reditum.

De illa pluribus in *Esdrae* et *Nehemiae* historiis, Summatim huc faciunt,

I. Edi-

I. Edictum *alterum* in fauorem Iudaeorum, pro Templo instaurando, et opere resumendo, sumptibus etiam de suo suppeditatis, per Darium Regem anno eius II. *Esdr. VI. Hag. I. 14.*

Fuisse hunc ex tribus Dariis (prout tres Persarum Artaxerxes) Darium *Hystaspis*, summus est consensus Veterum, cum Iosepho, *Lib. XI. C. IV.* inter recentiores Caluini, Pererii, Petauii, Vsserii, Capelli, Baillii, Marshamii, etc. Nec pauca suadent, cum primis ne in longum nimis differatur calamitas Iudaeorum, contra effatum *Zach. I. 12.* Et fuisse sub hoc Dario qui prius Templum viderant, Iosephus, *Lib. XI. C. IV.* et colligunt plurimi ex *Hag. II. 3.*

Aliis, vt Drusio, Scaligero, Caluasio, Chronologis non paucis, creditus Darius *Nothus*, Artaxerxis Longimani successor. Viceritque horum sententia, 1. Si Ahafuerus et Arthasastha, *Esdr. IV.* sint duo diversi Persarum Monarchae post Cyrum, et Artaxerxes ille sit, qui alias Longimanus, non vero fuerit *Artaxerxis* appellatio commune quoddam cognomen, *Magni* significatu. 2. Si Sanaballat et Iaddua, de quibus Nehemias, *Cap. II. 10. XII. 22* sint iidem illi de quibus Iosephus sub Alexandro meminit, *Antiq. Lib. XI. C. VIII.* Nam minus stringunt rationes aliae.

Occasionem vero huius Edicti singularem exhibent *Esdrae III.* Apocryphus *Cap. III. IV.* Iosephus *Lib. XI. C. IV.* silet Esdras Canonicus *Cap. V.* nec satis est similis vero omnis illa de satellitum certamine narratio.

II. Perfectio operis, ac *Templi* totius exstructio, Darii eiusdem anno VI. mense Adar, *Esdr. VI.* tantis *ἑγγοδιόκτας*, tantaquae Iudaeorum multitudine, rem strenue promouentibus.

Modum exstructionis, *ἑγγοδιόκτας* praecipuos, dedicationem, acclamationes, encaenia, festiuitates Iudaeorum, etiam lachrymas, exhibet Esdras, *Cap. VI.* et Iosephus, dicto loco.

III. Edictum *tertium*, scil. a Cyro illo, in Iudaeorum gratiam, de sumptibus suppeditandis ad sacrificia *Esd.* VII. emanavit anno VII. *Artaxerxis*, Regis Persarum, qui aliis Xerxes, vt Iosepho, aliis Longimanus, aliis Mnemon, multis idem cum *Dario* superiore.

Tenorem Edicti exhibet *Esd.* *Cap.* VII. Iosephus *Lib.* XI. C.V. Et vi huius profectus est cum amplissimis mandatis et muneribus *Esd.*, primarius in sacerdotibus, instaurator Cultus et Politiae Iudaeorum.

IV. *Quarta* concessio Nehemiae facta, anno Artaxerxis XX cuius occasio describitur *Neh.* I. II. Iosepho *Antiq.* *Lib.* XI. C.V.

Nehemias vtique idem qui *Esd.* II. 2. ex Levitico genere, inter Capita deportatorum, quamvis Scaligero diuersus, proeectus in multum aetui, vegetus adhuc anno XXXII. Artaxerxis, *Neh.* XIII. 6. qui Xerxes esse non potest secundum Iosephum, verius aliis Longimanus, aliis Mnemon.

Num *septem* illae *hebdomades* annorum, *Dan.* IX. 25. seu anni XLIX spectent ad spatium quod fluxerit ab Edicto Cyri ad instaurationem Templi sub Dario, vt Caluinus, alii; an a Templo instaurato ad perfectos muros Hierosolymae, sub hoc Artaxerxe, vt Scaliger, etc.; an vero alio respiciant, controuertitur inter Chronologos et Interpretes.

V. Spectant huc quoque v. gr. 1. *Lingua* Iudaeorum, qua vsi post reditum ex Captiuitate, sub Templo II. Qualis non pure Chaldaica seu Babylonica seu Aramaea vetus, *Dan.* II. 4. sed quae specialius Syriaca dicta, seu Hierosolymitana, sensim ab Exoticis linguis magis corrupta. 2. *Characteres*, quos a reditu vsurpasse traduntur, Babylonios scil. seu Chaldaicos, qui sint *quadrati* hodierni, vt post Eusebium, et Hieronymum censent Viri summi, antiquis Characteribus manentibus apud Samaritanos; 3. Discrimen Templi II. maximum, a prioris Salomonici gloria, *Hag.* II. 3. saltem quoad ornatum, et splendorem, si non quoad aream et latitudinem. Adde discrimen quoad statum

Rel.

Reipublicae tot partibus collapsae, vnde cumprimis lacrymae populo expressae. Adde et defectus *quinque* praerogatiuarum, (numerant alii *septem*) de quibus supra in Templi prioris descriptione. De Synagoga Magna, statim.

VI. Septuaginta septimanae Danielis. Varia illarum supputatio, et causae.

I. Huc reuocanda celebratissima Epocha LXX. *septimanarum*, quas vaticinatus est Daniel, *Cap. IX. 2. 4.* super *Dei Populo*, et *Vrbe Sancta*, esse *decisas*, seu accuratissime supputatas, ac definitas, iam inde *ab Exitu verbi*, seu Edicto de instaurando Templo, vsque *ad Christum*, seu Vñctum, (ad eius exhibitionem,) qui et futurus *Dux*, Princeps, per exaltationem.

Distribuantur vero ita septimanae, vt 1. prima periodus sit *septem septimanarum*, seu annor. XLIX. ante aedificatam et munitam Hierosolymam, foro et fossa. 2. Altera sit LXX. *septimanarum*, seu annorum CCCCXXXIV post aedificatam Urbem Sanctam, et munitam, per Nehemiam scilicet, non sine *angustiarum* quarundam interuentu; quo circiter tempore elapso *exscindendus* esset Christus, non *sibi ipsi*, nec culpa sua, postea quoque *Vrbs et Sanctuarium* destruenda. 3. Tertia denique periodus sit, *vnus septimanae*, seu strictius seu *εν πλάτες* magis acceptae, *confirmando Foederi* (vt videtur) per praedicationem Euangelii, ante bellum Iudaicum, et extremam desolationem.

Summa fuit, statum Iudaeorum non iri penitus abruptum, donec omnia consummata essent, stante Vrbe et Templo, scil. coërcitio defectionis, consummatio peccatorum, expiatio, adductio iustitiae aeternae, obsignario visionis, excidium Messiae, abolitio sacrificii etc.

II. Quanquam vero planissima videatur mens Vaticinii, nihil tamen eo visum obscurius aut intricatius. Hinc cauiilla Iudaeorum in Christianos, Abarbanelis cum maxime, diuisos in tot interpretationum classes.

Causae nempe obscuritatis, et diffidorum, potissimae sequentes.

1. Ambiguitas in voce שביעים *septimanarum*, quae et de septimanis *annorum*, *Leu. XXV. 8.*
2. Ambiguitas termini *a quo*: Inchoantur sc. *ab Exitu Verbi*, quod an verbum Angeli, an Cyri edictum, an Darii, an Artaxerxis, dubitatum. Scaliger ab exitu Darii Nothi, verius fortassis qui ab Edicto ultimo, anno XX Artaxerxis, vel ab anno huius VII.
3. Dubius terminus *ad quem*, an in desolatione Urbis et Sanctuarii per Antiochum, an in excidio Christi, an in Urbis illo et Templi per Romanos?
4. Varias verborum exegeset, et paraphrases, varia applicatio, multis illa quae *Versu XXIV.* ad statum Captivitatis Babylonicae, et liberationem ex ea referentibus, aliis alio.
5. Varias interpretationes circa *Christum* illum, seu *Vnetum* quem Cyrum, Zorobabelem, Nehemiam, Sacerdotes, Maccabaeos, et denique *Messiam* reddiderunt, etiam Iudaei.
6. *Tripartita* illa distinctio LXX. septimanarum, vt supra, quae Chronologis et Interpretibus mire crucem fixit; nonnullis etiam numerantibus tantum LXIII. septimanas, VII. prioribus huic calculo inclusis; vt facit Marshamus.
7. Mirus dissensus in ferie, numero, nominibus; an *nis Persarum* Regum definiendis, aliis *tres*, aliis *quatuor*, ex *Esdrae Cap. IV. VI.* aliis *octo*, aliis *novem*, aliis *decem*, aliis *undecim*, aliis etiam *quatuordecim* numerantibus, hinc mire contrahentibus, vel producentibus Epocham hanc.
8. Varia Chronologorum supputatio circa annos Monarchiae *Graecorum*, secundum varias Aeras Regum Syriae, Ptolemaeorum, Olympiadum, etc. nec certus Hebraeorum calculus in annis *Pontificum*, *Hasuonaeorum*, *Herodianorum*.
9. Dubium hinc annorum intervallum a primo Cyri,
ad

ad Natiuitatem Christi Seruatoris, quod Doctissimi Chronologi extendunt ultra annos D. alii contrahunt, Iosephus secundo Templo deputat annos DCXXXIX.

10. Difficultates circa praecisum tempus Natiuitatis Christi, Baptisimi, Mortis, et dissensus in vera Aera Natalis constituenda, de qua Parens noster *Parte II. Dub. Euang.*

11. Praecisa (secundum quosdam) terminatio harum *septimanarum* quaesita in ipsissimo tempore vel Natiuitatis, vel Baptisimi, vel Mortis Christi, vel etiam destructionis Hierosolymor. vnde difficultates non leues in computo. Nec minus constat vaticinio sua veritas, si LXX septimanae in *πλάτες* accipiantur. Scilicet minus tempus non fore VII septimanis et LXII vsque ad excidium Messiae, vltima septimana destinata confirmando foederi, et abolendo sacrificio, late rursus accipienda, pro tempore quod mortem Christi exceptit.

Omnium de his accuratissime et prolixissime commentatus est inter Theologos Reformatos, Andreas Willetus, ad *Cap. IX. Danielis*. In Chronologis adeantur Petauius Tomo II. *de Doctr. Temp.* Langius *de Annis Christi*, Baillius. *Adde Alex. Softmanni Commentar. de LXX hebdomadibus.*

V. Viri Synagogae Magnae, seu Concilium Hierosolymitanum. Quarum rerum Auctores.

Hic certa ab incertis, et dubia a fabulosis distinguenda.

I. *Certum*, Templo et Vrbe instauratis, coepisse Cultum publicum reuiuiscere, Sacrificia institui, Festa celebrari, preces publicas fundi, abusus varios tolli, et corruptelas seu in doctrina, seu in vita et moribus. De his *Esdrae* et *Nehemiae* Libri.

Certum praefedisse his omnibus Viros graues, et Propheticos et Sacerdotales, inter alios *Esdram* Sacerdotem, amplissima potestate instructum, alterum Hebraeis Mosem; Restituto tum quoque *Concilio Sanhedrin*, seu LXX. Seniorum. De his *Esdrae*. C. VII. Iosephi *Lib. XI. C. IV. V.*
Cer-

Certum quoque non defuisse curam in recensendis, et emendandis Sacris Codicibus, postquam periissent Autographa Moſis et Prophetarum.

II. *Dubium* magis, huic-ne Esdrae et Sodalium curae debeantur *Masorae* primordia, Partitio Legis, Digestio Sacrorum Voluminum, Variarum Lectionum annotatio, Punctationis origo, reliqua quae ad Masorethicum opus spectant?

De his prolixae concertationes, affirmatiuam tuentibus Galatino, Drusio, Buxtorſis, in negatiuam plerisque Eruditorum inclinantibus, et primordia illa censentibus verius *Pharizaeicae* aetatis, complementum autem longe a Christi temporibus, annis forte D. accessisse. Et certe in Masora multa superſtitioſa, inutilia, a Magistris orta, veteribus ignorata, vt Origeni, Hieronymo etc.

III. *Fabuloſa* videntur, quae de numero Virorum Synagogae Magnae Hebraei tradunt, quorum aliquando XII. alias CXX. recenſent; vt adſcripta his Traditionum ſuarum acceptio a Prophetis, transmiſſio ad Succesſores, et id genus alia.

VI. Libri Sacri et Canonici tum conſignati. Prophetae huius periodi.

I. *Libri Sacri* qui tum Canonice acceſſerunt, ſunt alii *Hiſtorici*, alii *Prophetici*. Et hiſtorici quidem ſunt,

i. *Libri Chronicorum*, quorum *primus* eſt rerum ab Orbe condito ad Dauidis vltima, occasionaliter tamen inferſis quae diu poſt Dauidem acciderunt, vt *Cap. III.* et reduces ex Captiuitate *Cap. IX.* *Secundus* eſt a Salomone Rege ad reditum ex Captiuitate. Hebraeis diſti *Verba dierum*, ſeu res dierum vel temporum Eccleſiae; Graecis *Paralipomena*, ob inferſa his quaedam quae non in praecedentibus Hiſtoriarum Libris. Sicque complectuntur hiſtoriam annorum vltra MMMCCCC. Auſtor Esdras vulgo perhibetur (quanquam et alii tum Viri *Θεόπνευστοι*) ex collato loco 2 *Chron. XXXVI. 22. 23.* cum *Esdrae I. 1. 2. 3.* quae plane ſunt eadem.

2. Liber

2. Liber *Esdrae* vel *Ezrae*, continens historiam ab Edifio Cyri Regis, vsque ad annum VII. *Artaxerxis*, seu hic iuxta alios sit Xerxes, seu Longinianus, seu Mne- mon, qui Dario Notho successit. Sed verius ad Longima- num referas propiorem Cyro, et a Epocham hebdomadam.

3. Liber *Estherae*, continens historiam aliquot an- norum sub regno Ahassueri, de quo supra. *Esdrae* alii, alii *Mardochoae* Cap. IX. 20. alii, cum Philone, *Ioachi- mo* Sacerdoti tributum voluerunt, alii aliis.

4. Liber *Nehemiae*, omnium postremus ex Histo- riis Canonicis Testamenti Veteris, Hebraeis *Secundus Esdrae*, contractus nempe cum libro *Esdrae* in volumen vnum. Continet autem historiam ab anno XX. *Artaxerxis*, quo Dux et instaurator missus in Iudaeam *Nehemias* fuit, vsque ad finem Monarchiae Persicae, sub Dario Codomano, et Iaddua summo Pontifice, ex *Cap. XII. II. 22.*

Nec dubium quin *Nehemias* sit scriptor Libri, fere vbique in 1. persona locutus, quanquam continuatio illa Genealogiae vsque ad *Iadduam* Summum Sacerdotem, *Cap. XII.* credatur post *Nehemiam* attexta. Impudenter rursus, vt solet, tradit auctor *Tractatus Theol. Polit.* *Cap. X.* Libros *Danielis*, *Esdrae*, *Estherae*, *Nehemiae*, videri sibi esse vnus Scriptoris, dudum post *Iudam Macchabaeum*, auctoribus scilicet *Pharisaeis*, hinc mendis refertos, hinc *resurrectionis* mentionem occurrere *Dan. XII. 2.* hinc alios a *Sadducaeis* libris confictos esse eodem tempore, sub iisdem nominibus *Danielis*, *Esdrae*, *Estherae*, etc. Et haec confirmat per rō *Non dubito, non dubitandum* est, dissimulatis omnino quae ista subuertunt, et vel malitia vbique prodita, vel ignorantia, vt iam in superioribus Epochis obseruatum, speciatim ad *Danielem*.

II. Libros *Propheticos* quod attinet, tres accesserunt hac Epochā.

1. *Haggaeus*, coepto munere ab anno II. *Darii*, sub quo rursus incepta et perfecta Templi Secundi instauratio. Nec in *Prophético* munere ultra paucos *menses* continuasse intelligitur *Cap. I. 1.* et *Cap. II. 18. 20.*

2. *Za.*

2. *Zacharias*, coeptis vaticiniis ab eodem anno II. Darii, sed diutius continuatis, facta mentione anni eiusdem Darii IV. mensis IX. *Cap. VII. 1.* Et hic *Zacharias* filius *Barachiae*, *Zach. I. 1.* plerisque idem esse putatur de cuius nece *Christus*, *Matth. XXIII. 35.*

3. *Malachias*, vltimus Prophetarum (aliis *Esdras*, aliis *Angelus*, etc.) vaticinatus dudum perfecta Templi Secundi fabrica, hinc *Nehemiae* contemporaneus, ex abusu quos vterque reprehendit similitudine, *Neh. XIII.* cum *Malach. II. et III. Capit.*

VII. Bibliorum in Linguam Graecam prima translatio.

Huius summatim observentur,

I. *Causa*, Iudaeorum scilicet dispersio inter Gentes, sub *Alexand. M.* eiusque Successoribus, lingua Graeca ubique tum usurpata, et patriae linguae oblitis non paucis Iudaeorum, qui hinc *Hellenistae* dicti, seu Graecizantes, Graecum sermonem usurpantes, nec tamen Graeci, sed Iudaei origine, et religione, ut prolixè *Claud. Salmastius*. Adde Gentiles sic fuisse preparandos ad fidem *Christi*.

II. *Tempus*, non quidem ante *Alexandrum M.* ut *Clemens Alexandrinus* et *Eusebius* tradiderunt, quo tempore nihil dum Iudaeis cum Graecis commercii, nullis etiam Versionis talis vel testibus vel vestigiis; sed neque vel ante *Ptolomaeum Lagi*, ut vult *Saidus Patricides* in *Chronico* suo Arabico, vel sub eodem *Lagida*, ut statuunt *Clemens Alex. Lib. I. Strom.* et *Irenaeus Lib. III. C. XXV.* nullo idoneo teste: Igitur verius sub *Ptolomaeo Philadelpho* communi Veterum consensione, nisi vivus tum adhuc Pater fuerit, socio Imperii Filio. De *Coloniis Iudaeorum* sub *Ptolomaeo Lagi* in Aegyptum traductis, *Iosephus Lib. XV. C. 1.*

III. *Auctores* vulgo putati *LXXII.* Seniores accessit magnis ad stuporem muneribus, et splendida *Ptolomaei* ad *Eleazarem* summum Pontificem legatione; sex ex singulis, ut ferunt, Tribus, genere, doctrina, et rerum usu praec-

praecellentes, de quibus fuse Iosephus *Lib. XII. Antiq.* C. II. quae Iosephus habuit ex Pseudo-Aristaea, Iudaeo quodam peronato, Scriptore Libelli de LXX. Interpretibus. Ex utroque cumprimis habuerunt Eusebius, caeterique Patres Antiqui: De qua siue Historia, siue fabula, multis Eruditi.

Certior itaque coniectura, auctores Versionis Graecae primos fuisse Iudaeos Alexandrinos, qui Hebraice et Graece docti essent, in gratiam Iudaeorum Hellenistarum, et fortassis vt Ptolemaeo quoque gratificarentur.

IV. *Occasio*, quae fertur studium Ptolemaei Philadelphi de ornanda Bibliotheca Alexandrina; et hoc thesauro locupletanda, quo tempore literae et literatores essent Alexandriae summo in pretio. Consilii vero *auctor* fuisse fertur Demetrius Phalereus, Philosophus Atheniensis, Athenarum quondam princeps. Sed et hoc in fabulae argumentis est, utpote qui nec Bibliothecae Alexandrinae tum praefectus, nec vlla apud Philadelphum gratia valuit, profugus ad Ptolemaeum Lagi, Philadelpho autem exosus.

V. *Modus* Versionis, plane vt miraculosus, sic et fabulosus, nempe quasi 72. dierum spatio tota Versio a singulis adornata fuisset, agentibus in separatis cellulis, aut bini in cellulis singulis iuxta Epiphanium, nulla inter eos communicatione, iisdem tamen a singulis non sententiis modo, sed literis et syllabis expressis. Quanquam in his circumstantiis variant Veteres. Adduntur alia, non minus fabulosa, quae Versionem immediate praecesserint, et quae eam subsequuta sint, magnifica sane, et pro ingenio Iudaeorum. Quae pridem a Ludouico Vives, Iosepho Scaligero, aliisque magnis nominibus explosa; a Pseudo-Aristaea, Iudaeo Hellenista, ad conciliandam Versioni ista auctoritatem conficta; a Veteribus credula nimis (vt solent) mente suscepta, a Latinis et recentioribus defensa.

VI. *Numerus* Librorum conuerforum, et plerique quidem Biblia vniuersa V. T. translata, alii solum *Penta-*
tetu.

teuchum memorant, inter quos posteriores sunt Talmudistae, Hieronymus, ex recentioribus Claudius Salmasius, Vsserius Armachanus, in Syntagmate de Versione LXX. etc. Ut tamen sub Ptolomaeis perfectam fuisse reliquorum Librorum versionem simul sentiant.

VII. Porro de Versionis τῶν LXX. *historia*, eius *conseruatione*, vel mira *interpolatione*, *puritate* vel *corruptione*, *auctoritate* supra vel infra Codicem Hebraicum, eius *Vsu* in Scripturis Noui Testamenti, aliisque, extant tota Volumina; diuersissimis Doctorum, etiam inter Reformatos, iudiciis, Versioni plus nimium tribuere in nostris Lud. Capellus, Brianus Waltonus, Ic Vossius, ex his alii, ac nuper Paulus Colomesius in suis *Observation. sacris*. Contra multifariam hodiernae corruptionem, discrepantiam a Vetere Alexandrina errores Interpretum sine fine, collat. Hebraicis Codd. post Chamieros, vel Vsserios, plerique hodie Theologi quotquot Hebraice docti. Mediam viam tenuisse videtur summus Bochartus, notatis saepissime his Interpretibus. Nouam ingressus nuper P. Simon, in *Historia Critica* Vet. Test. omnem et Translationi Graecae et Textui Hebraeo auctoritatem abrogaturus, et quotquot deinceps sunt ex utroque adornatae, Versionibus.

VIII. Pontificum in Iudaeorum Ecclesia gesta quaedam, ambitio, corruptio, defectiones.

I. Post *Nehemiam* missum ab Artaxerxe, vere instauratorem et reformatorem Reipublicae, penes quem, sub Persarum Monarchis, summa rerum et dominationis inter Iudaeos fuerat, rediit haec ad *Pontifices summos*, simul quoque *Ethnarchas*. Hinc mox nata ambitio, et libido dominandi; hinc in adeundo Pontificatu adhibitae fraudes, munera, vis, artes iniquae, auctoritate exterorum Regum, Syriae nempe et Aegypti. Et horum tandem ambitione, et auaritia Pontificum, pessundata fuit Iudaeorum tum Religio, tum Respublica; accedentibus *Samaritanis*, Iudaeorum aemulis, horumque in vicinis molitionibus

nibus. De quibus prolixè Iosephus *Antiq. Lib. XI. C. vlt. Lib. XII. etc.* in recentioribus Cunaeus de *Rep. Hebr.* Seldenus de *Sucess.* alii Iudaicae Historiae Scriptores. Pontificum Genealogiam tradit Nehemiae liber Cap. XII. vsque ad *Iadduam*, contemporaneum Alexandri M. Huic *Onias I.* hinc *Simon Iustus* filius, tum *Eleazar* et *Manasses* Simonis fratres, impubere *Onia II.* huic *Simon II.* *Onias III.* *Iason*, *Menelaus*, *Alcimus* etc. in Pontificatu successerunt. Qua de successione, post Iosephum, Eusebium, Zonaram, Nicephorum, et Magistros, prolixissime nostro seculo, Doctissimus Seldenus.

II. Ad Pontificum istorum historiam spectant prae caeteris, memoranda hoc loco,

1. Quod *Ionathani*, siue Iohanni apud Iosephum *Antiq. Lib. XI. C. VII.* (qui Iesum, aemulum Pontificatus, in Templo ipso nefarie interfecerat) successerat *Iaddua* vel *Iaddus* summus Pontifex. De quo memorabilis est apud Alexandrum M. Hierosolymas ad ultionem Iudaeorum properantem, subita gratia, apud Iosephum *Lib. XI. C. VIII.*

2. Celebris et inter horum temporum Pontifices *Simon* cognomento *Primus*, etiam *Iustus*, Iaddi ex *Onia I.* Pontifice nepos, ob virtutem et pietatem sic dictus, de quo *Syracides Cap. I.* Huic fuit *Onias II.* filius, et Successor, mediis *Eleazare* et *Manasse* Pontificibus; sed et sunt de hoc Simone fabulae, quales v. gr. fuisse eundem cum *Simeone* illo seniore, de quo *Lucae II.* natum ultra annos 300 vel 350 apud *Patricidem* etc. de quibus adi *Seldenum Lib. I. de Sucess. Cap. VII. VIII.*

3. Memorabilis et legatio *Ptolemaei Philadelphi* ad *Eleazarum* Pontificem, pro impetrandis Legis Iudaicae Interpretibus, in qua nihil adeo foret abhorrens a veri specie, si traditum esset tantummodo, v. gr. euocatos fuisse in hanc rem a *Ptolomaeo* sapientes Iudaeos, missis ad Pontificem literis, et muneribus. At *Pseudo-Aristeae*, qui Iosepho et toti Antiquitati imposuit, narrationem esse fabulae proximam, supra visum.

4. Memoratu quoque dignum est factum *Simonis II.* summi Pontificis, circa Ptolemaeum Philopatorem, Templi Hierosolymitani interiora visere gestientem, ut est in Libro III. *Maccab.* tacente tamen Iosepho; unde Philopatoris in Aegyptum reuerſi furor in Iudaeos, et vis conscientii eorum illata, unde etiam ingentem multitudinem ad *Graecorum* superstitiones, et ad defectionem compulit.

5. Non omittenda *Lacedaemoniorum* Legatio et Epistola ad Iudaeos, sollicitandae eorum amicitiae, tanquam fratrum, pari ab *Abrahamo* origine. Accidit istud Onia Pontifice, Arco vel Ario (*Ἀρείω*) Spartanorum Rege, de quo Linius, *Lib. XXXIX.* Pausanias in Laconicis, alii. De hac legatione Iosephus, *Antiq. Lib. XII. C. V.* et primus Liber *Maccab. Cap. XII.* et ad hunc Commentatores. Controversum vero quis ille Onias, aliis *primum* statuentibus, ut Scaliger ad Euseb. plerisque cum Iosepho, et Eusebio Oniam II. filium Simonis Iusti; aliis etiam Oniam III. filium Simonis II; aliis vero rem totam habentibus pro constituta.

6. Memorandum est *Schisma* segutum sub Onia III. summo Pontifice, filio Simonis II. Schismatis auctor fuit *Iesus*, frater Oniae III. *Iason* dictus Graecorum more, qui muneribus effecit suis apud Antiochum Epiphanem Regem, et pollicitationibus, ut amoto fratre in locum huius sufficeretur: Onia IV impubere: unde in gratiam impii Regis Sacris omnibus violatis, Sacrificiis neglectis, cultu Dei spreto, Hellenismum inuexit, tandem triennio post a Menelao fratre circumuentus, et sublatuſ, ut pluribus Iosephus, *Lib. XII. C. VI. VII.* et auctor II. *Maccab. C. IV.* Caetera ad sequentem Epocham.

IX. Librorum Apochryphorum conscriptio.

Genus varium. Auctores.

I. Appellationis Librorum *Apocryphorum* plana ex Theologis et Eruditis ratio est, de qua et Augustinus, de *Ciuit.*

Ciuit. Dei Lib. XV. C. XVI. Ineptissimus vero qui dictos censuit ab *από* et *κρίσις*, de quibus scil. non certum sit iudicium.

II. Nec vnus hi generis, nam conficti alii a *Judaeis*, alii a *Christianis* iisque haereticis et maleferiatis: alii rursus *morales*, alii *historici*, alii *dramatici*: alii Canonice subiungi soliti, alii minime, vt v. gr. qui sub *Sethi*, *Enochi*, *Abrahami*, *Mosis*, etc. nominibus pridem in Christiana Ecclesia venditati, a Gelasio in Concil. Rom. damnati.

III. Illorum qui Textui sacro attexi solent, varia rursus origo est ratione *auctorum*, et *temporis*. Indubium est auctores, vti hodie extant, fuisse Iudaeos Hellenistas, qui Graece scriptitarint, post factam translationem Bibliorum Graecam, quicquid de *Tobia* vt Chaldaice scripto, vel de I Maccabaeorum vt Hebraicis litteris primum consignato, tradiderit Hieronymus. Scripti autem partim ante tempora Maccabaica, qualis Syracides, sub Euergete II, partim (vt sunt plerique) a temporibus Maccabaicis: Auctoribus partim viris *piis*, et minime malis, studiosis suae Gentis; partim otiosis et nugacibus in quibus postremis sunt *Dramatum* auctores et *additionum* ad Textum sacrum. Coeperunt dehinc inter Hellenistas attexi Graecis Bibliorum Codicibus, seu ob *Historiae* seriem, seu ob *morum* egregia praecepta, Hebraeis vero nunquam in Canonem admissi, sed nec in Catalogis Eusebii, Athanasii, Nazianzeni, Epiphani, Hieronymi, etc. De *Canonisatione* eorundem per Christianos, in Historia Noui Test.

X. Samaritanorum hac Epocha Turbae, Fabulae, Dogmata, Pentateuchus, Sectae.

De Samaritanis, siue Chutaeis, sequentia potissimum ad hanc Epocham spectant, de quibus ex parte Iosephus, *Antiq. Lib. XI. C. VIII. L. XII. C. I.*

I. *Manassis*, fratris Iadduae summi Pontificis, ad Sanballeten sacerum, Samariae tum Praefectum, impia defectio, qua factum vt a Dario primum, tum ab Alex.

Magno veniam impetraret fover Manassis aedificandi *Templum* in monte Garizim, aemulum Hierosolymitano, Iudaeorum ceremoniis ad imitationem tractis, et Manasse illis Sacris praefecto, ac multis Iudaeorum eo illeclis, qui severiori se Iudaeorum disciplinae subduxere. Adi Iosephum *Lib. XI. Cap. VIII.*

II. *Figmenta* deinceps Samaritanorum, ex odio et aemulatione Iudaicae Gentis, quae iam inde ab instauratione Templi secundi coeperat, *Esd. IV. Ioseph. L. XI. C. IV.* et flagrabat adhuc Christi tempore, *Ioh. IV.* Huiusmodi fuere, Iacobo se Patriarcha ex filiis duobus oriundos, ex Aegypto eo translato, sibi a Iosua eam Terram assignatam, ubi sepulchrum Iosephi, possessores se ab aevo Montis benedicti, Sacerdotes suos vere Aaronicos esse, *Aaronaeos* dictos, etc. dissimulata origine Assyriaca vel Chuthaica, et defectione Israëlitica.

III. *Dogmata* Samaritanorum et *instituta*, post erectum Templum Garizimitanum, repurgata fuere a Gentilismo magnam partem, et affinia Iudaicis.

Hinc vnus illis Deus Israëlis, Christi adhuc tempore, *Ioh. IV. 2.* Idolorum nullo vestigio; Messias expectatus, sacrificia oblata, Mons Garizim Sioni oppositus, *Deut. XI. 29.* dies Festi obseruati, Circumcisio vsurpata, pollutiones damnatae, Mosis scripta admissa, seu Lex scripta, et Pentateuchus, retentus inde a defectione X Tribuum. Prolixè de his Epiphanius, Tudelensis in Itinerario, et Magistri passim, ac recentiores. A Iudaeis vero discrepabant, circa Locum cultus, scripta Prophetica, Historica, Traditiones per Pharizaeos inuectas.

IV. *Iudaeorum* de Samaritanis varia *figmenta*, odio aemulae Gentis, vili apud ipsos *Chutaeorum* nomine, hinc et Christianis impacto. Vnde nata ista, de culto a Samaritanis Columbae simulachro; de defectu trium literarum ט, ח, ה, non sine mysterio; de corrupto initio Geneleos; de negata resurrectione, etc.

V. *Pen.*

V. *Pentateuchus* Hebraeo-Samaritanus, haud dum in Europam illatus, antiquus sane, cuius meminere Eusebius, Hieronymus, Cyrillus, alii, at nec genuinum *αρχέτυπον* Mosis, nec antiquior Graeca Versio imo recentior longe est, opinante Vsserio, auctore scilicet famoso illo et Apostolis circiter coaetuo *Dositheo*, de quo Tertullianus, Origenes, Photius in Bibliotheca. Quae doctissimi Viri quaedam coniectura est. Vti conflat hie Textus videtur, partim ex Hebraeo, partim ex Graeco, in multis discedens ab utroque, modo auctior, modo etiam mutilus, ac mutationibus foedus. Vt frustra auctoritatem illius, hypothesebus suis firmandis, extulerint Morinus, Capellus, Waltonus, inuitis Clarissimis nominibus Simeone de Muis, Seldeno, Vsserio, Bootio, Hottingero, Buxtorfio, aliis.

VI. *Sectae* denique in quas diuisos fuisse Samaritanos refert Epiphanius, *de Haeres.* L. I. Quae quatuor recensentur *Gortheni, Sebnaei, vel Seuaei, Essenivel Essaei, Dositheani*. Quanquam verosimile videatur *Essenos* Iudaeorum potius fuisse sectam, eandemque cum illa de qua Iosephus, et nos infra. De Samaritanis multa et Scaliger contra *Serrar.* ac Libris *de Emend.* Daniel Heinsius Aristarchi *Cap. XX.* Ligtfoot Horis in Ioh. etc. praeter Viros modo nominatos occasione *Pentateuchi Samaritani*.

XI. Hellenismi propagatio. Sectae Philosophorum hac Epocha natae.

I. Dum sic habet status Iudaeorum a reditu ex *Captiuitate*, floruit medio temporis inter Gentes *Hellenismus*. Vnde *Ελλην* Religionis nomen in Sacris, contradistinctum *Iudaeo* et *Barbaro*. Et licet variae ante Platonem Sectae obtinuerint, inferiorem Pythagora longe ultra saeculum, licet huius Epochae quoque fuerint *Cynici* auctore Antisthene, *Pyrrhonii* auctore Pyrrhone dubitantium patre, interrim celeberrimae omnium Sectae *quatuor*, in quas reliquae tandem abierunt, et de quibus prolixè *Historiae Philosophorum* ab Eruditis conscriptae.

II. *Platonica* omnium optime philosophata de Natura incorporea summi Dei; de vniuersali rerum omnium Causa; de Mundi opificio; de immutabili Prouidentia; de Pietate in Deum; de Animae immortalitate, et Vita Beata.

Imo *Platonicae* et *Mosaicae* doctrinae σύγκρισιν instituere Eusebio placuit *Praepar. Euang. Lib. XI.* Placuit et Iustino Martyri statuere *non alienam* a praeceptis Christi *Apol. I.* vti Clementi Alex. *Lib. I. Strom. C. VI.* censere eam *paedagogium* ad Christum, et hunc ante *inificationis* medium; plurimis autem Veterum, ipsi Augustino, tribuere Platoni notitiam mysterii *Trinitatis*, et Verbi *Filii*, aliorumque reuelatorum in *Scripturis S.* Vnde ex *Platonica Philosophia* (cui impense additi antiquissimi Patrum, quaeque vt *προγενέσει* Religionis Christianae ipsis habita, qua aduersus Gentiles munirentur) fluxerunt in Theologiam Christianam errores non pauci. Quales v. gr. *περί τῆ ἀντεξουσίας*, de salute Gentilium, de Angelorum officii, classibus, de Animarum origine, purgatione, de mystica et arcana Resurrectione, etc.

III. *Peripateticae* Philosophiae conditor, aetas, ingenium, laudes, sententia de Motore primo, deque eius vnitatem, infinitatem, error de Mundi aeternitate nonnullis dubius, de Prouidentia nulla in sublunaribus etc. Sic Ethices et Politices praeclara praecepta, Scripta eiusdem post Theophrasti Successoris mortem varie interpolata, deinceps nec intellecta, omnium vero minime a Scholasticis, sed neque ab aduersariis Aristotelis, etc. obuia omnibus sunt, nec huiusce Compendii.

IV. *Stoica* Philosophia, toto post Platonem saeculo exorta, vetus altera fuit quae in *Sophistica*, Zenone Magistro; recantior altera, quae magis in *praxi* seu *moribus* consisteret, illustrioribus Magistris Seneca, Epicteto, quorum hic duobus praeceptis omnia complexus est, *sustine et abstine*. Hinc felicitatem esse intra hominem, exuendos affectus, mortem contemnendam etc.

Hinc

Hinc multa cum Christiana Philosophia Stoicis communia, quanquam ex diversissimis principiis, portentosa vero fuere dogmata, de *Mundo* vt Deo primario, de *Fatali* rerum necessitate, de infinitis rerum *Circuitibus*, etc. de quibus multa Cicero, Seneca, Clem. Alexandrinus, et Origenes contra Celsum.

V. *Epicurea*, eodem tempore cum Stoica nata, omnium terribila ratione *dogmatum*. Huiusmodi quae de Diis corporeis, de Mundi casuali officio, de infinitate eiusdem, de Animorum mortalitate, de Providentia nulla, etc. tradiderunt. Hinc magno nisu Christianis Veteribus oppugnata, neque ex ea nisi solutioris *vitae* homines prodire potuerunt. Quanquam *Voluptatem*, quae illis summum bonum, saniori sensu accepisse videntur, tum respectu *Corporis*, tum respectu *Mentis*, dum illud a dolore, hanc a perturbatione immunem conciperent. Illustravit hanc Philosophiam prae caeteris, nec sine Antidotis, Petrus Gassendus.

EPOCHA NONA

A B

HASMONAEIS SEV MACCABAEIS AD
CHRISTI NATIVITATEM.

I. Persecutio Antiochi Epiphanis in Iudaeorum Gentem.

Describitur haec tum in Libris *Maccabaeorum*, diversa fide, tum apud Iosephum *Antiq. Lib. XII. a C.* VII. Eusebium in *Chronico*, Sulpicium Seuerum *L. II. etc.* Et eius

I. *Tempus*, fuit annus Antiochi Epiphanis VI. ante Christum natum CLXVI. vel CLXVII.

II. *Instrumentum*, in Iudaeis ipsis, fuit potissimum *Menelaus* ille Pontifex Maximus, pulsor Iasonis, (alias Onias dictus, filius minimus natu Simonis II. sed *Menelai* Graeco nomine affectato) legibus Mosaicis ciuratis, Graecorum

corum Hellenismo suscepto, et ipsis circumcisionis notis in corpore extinctis, suisque vt imitarentur compulsi. Praeuerat in hoc *Iafon* ille, qui triennio ante suis ad Antiochum muneribus effecerat, vt amoto fratre Onia III. Pontificatum adipisceretur, extructo etiam sub arcem Sionis Gymnasio, instituendis Ephebis iuxta statuta Gentium, 2 *Macc* IV. 12. et apud Sulpicium *Lib.* II. qui nonnulla hic cum Iosepho repugnantia habet vt et auctor II. *Maccab.*

Instrumenta bellica in gentem Iudaeorum fuisse Apollonius, Lyfias, Gorgias, Bachides, Nicanor internecione cum exercitu tandem deletus a Iuda Maccabaeo, vt prolixè Iosephus a *Cap. X.* ad finem *Libri XII. Antiq.*

III. *Occasio* persecutionis fuit 1. Iafonis in Menelaum impetus, recuperando Pontificatui, Menelai vero in Antiocho Epiphane reposita fiducia, vnde istam in Menelaum seditionem, quasi rebellionem Iudaeorum interpretatus est Antiochus. 2. In *Antiocho* ipso quaedam animi aegritudo, quod iussu Romanorum Aegypto excedere cum victore exercitu coactus fuisset, hinc dolore percitus et exaestuans in Iudaeos exercitum mouet.

IV. *Modus* eiusdem, fuit supra fidem immanis et cruentus, quo nempe Antiochus ex Aegypto redux Hierosolymas occupat, Iudaeos vel trucidat vel venundat, Templum proditore Menelao inuadit, thesauris immensis idem spoliat, ad mille et octoginta vt ferunt talenta: Hierosolymas dein per Apollonium quendam incendit; in Iudaeos quaquaersum saeuit; Iudaicam religionem exscindit; Superstitiones Graecorum summa tyrannide introducit; Iudaeorum omnia Instituta peruertit; Libros Sacros quoscunque reperit Vulcano facrat; non tenellis infantibus, non matribus, non aetati, non sexui parcit; quod coeperat per Exercituum duces sucecessiue promouet, etc. Quae omnia fusius descripta in vtroque *Maccabaeorum* Libro, et apud dictos Auctores, Danieli vero luculenter praenunciata. *Cap. VIII. XI.*

V. Fa-

V. Fabulosum vero est quod refert Diodorus Siculus in Eclogis. ex *Libro XXXIV.* sub init. conspectum fuisse ab Antiocho Epiphane, in Templo Hierosolymitano, et quidem in Sacro Adyto, Mosis lapideum simulachrum, *afello* insidentis, tenentisque manibus Librum. De cuius fabulae origine Eruditi, ut et de calumnia *Asinaria* seu *ὄνολατρῆα* in Iudaeos, Apionis Alex. Plutarchi, Taciti, etc. Obviae sunt Baronii, Heinsii, Fabri, Bocharti, aliorum hac de re coniecturae, quae deinceps in Christianos calumnia redundavit, ex Minucio Fel. et Tertulliano, et de qua nos alias.

II. Instauratione Reipublicae et Ecclesiae per Maccabaeos. Ratio Nominis. Et successione.

Dubia quaedam historica.

I. Primus fuit *Matthias* vel *Mattathias*, ex prima Sacerdotali familia, qui cum filiis *quinque* (rebus Iudaeorum conclamationis) animo, fortitudine, constantia inuicta, bellis cruentis, collapsa erigunt, nec Politiam tantum, sed et Religionem restituunt. Gratis vero hunc Mattathiam summum Pontificem Hebraei tradunt, et ex iis fragmenta Eusebiana, Sulpicius Seuerus, Gorionides, alii, de quoad Seldenum, *Lib. I. C. X.* de successione in Pontif. Pefime etiam Baronius et Genebrardus eundem ex Tribu Iudae, quoad paternum genus, deducunt, inducti ex loco, *I Macc. V. 62.*

II. Dicti hi *Hafmonaei* vel *Assamonaei*, si Iosepho fides *Lib. XII. C. VIII.* *Antiq* a Proavo Mattathiae *Assamonaeo*, cui filius Simeon, huic Ioannes, a quo Mattathias; secundum alios dicti a voce Hebraea *מַטְתִּיָּת* *Chafmanim* *Pf. LXVIII. 32.* quae notat *Principes*, seu Optimates, seu primarios Sacrorum Antifites. *LXX.* reddunt *πρόβητες*, Fullerus *τοπάρχας*, *νομάρχας*, alii *ἀρχοντας*, *ὑπερόχους ἀλλων*, voce non tam Hebraea, quam peregrina et mixobarbara, huic postmodum familiae, ob

Dignitatem et Principatum, tributa. De quibus Drusus, Scaliger, Petavius, Seldenus, alii.

III. Dicitur iisdem *Maccabaei* a Iuda *Maccabaeo*, tertio ex Mattathiae filiis, belli Duce, in Patris locum suffecto; tandem etiam cum *Principatu* summum *Sacerdotium* post Alcimum (Iacimum, Ioachimum) adepti. Rationem et etymologiam vocis alii aliam assignant. Imperite Magistri nonnulli *Graecam*, significatu *fortis, bellicosi*, verosimillima autem omnium (invito Scaligero, qui id nomen vult fuisse Iudae *Maccabaei* cognomen) ex quatuor *litteris* initialibus, Iudae vexillo inscriptis, vocum quae *Exod. XV. 12.* quaeque per sigla efficiunt מַכְבִּי.

IV. Historiam Iudae et Maccabaeorum quod attinet, exhibet eam prolixissime Iosephus, *Lib. XII. XIII. XIV.* Chronologia Iudaeorum, Iosippus Gorionides, Eusebius, etc. post Scriptores utriusque Libri *Maccabaeorum*, quorum *prior* definit in nece Simonis, et successione Iohannis Hyrcani huius filii, *alter* vero in caede Nicanoris per Iudam Maccab. Secundus hic liber haud obscuris mendaciis et *ἀντιλογίαις* contaminatus est, obuiis vel in Capp. XII. XIV. XV. exemplis.

Nec certa in omnibus *Iosephi* fides, nec dubia pauca historica, v. gr. de familia ex qua Mattathias, isne ex Eleazaridis, an ex Ithamaridis? Sic de huius Pontificatu, de ordine Filiorum, Indasne primogenitus? de annis tum Principatus tum Pontificatus Iudae, de Alcimo post Iudam superstitite ex *1 Macc. IX. 54.* aliis. Menda etiam in *Eusebio* notarunt Scaliger, Seldenus, etc.

Iudae vulgo tribuuntur anni VI. ab aliis plures, incluso triennio Pontificatus; Ionathani fratri anni XVIII. Pontificatus sede per *quadriennium* vacua; Simoni fratri anni VIII. Iohanni Hyrcano huius filio, (qui et Propheta filius fertur) anni XXX. cui successit Aristobulus, primus *Regio* nomine et diademate inclutus, eoque per annum I. gauisus; huic Alexander Iannaenus frater, annis circiter XXVIII. Alexandra tum coniuge (Salome) annos IX. regnum

gnum moderata, donec *Hyrchanus* et *Aristobulus* filii de Principatu decertarent, per quos perdita Iudaeorum Respubl. fuit, vt infra ad *Maccabaeorum ultima*.

Toti *Assimacaeorum* principatui, vsque ad captam ab *Herode* Hierosolymam tribuuntur apud *Iosephum* anni CXXXVI. in fine Libri XIV. Antiquitat. Inde a soluta Captiuitate Babylon. ad *Aristobulum Regem* primum, putat idem annos 481. excedente nimis calculo, *Lib. XIII. C. XIX.*

Bella *Maccabaeorum* cum Regibus Syriae, Aegypti, eorumque Ducibus, Foedera eorundem, Legationes ad Romanos, alia pace et bello gesta, huius instituti non sunt. Accuratissime de his omnium instar, ex *Iosepho*, *Vferius* noster, *Annalium* Parte II. vt *Salianum* caeterosque taceam.

III. Samaritanorum ad Ethnicismum defectio.

Huius defectiois

1. *Tempus* fuit sub *Antiocho Epiphane*, postquam, Hierosolymis occupatis, verum Dei cultum in Iudaea abrogasset.

2. *Causa*, metus persecutionis similis, hinc turpis ad Gentilissimum defectio, digna Samaritanorum Sacris.

3. *Ratio*, dum datis ad *Antiochum* literis, quas exhibet *Iosephus Antiq. Lib. XII. C. VII.* cum inscriptione *Ἀντίοχος Θεῶν Ἐπιφανῆς*, fingunt se a Sidoniis et Persis oriundos, Gentiles origine; ne pro Iudaeis habeantur rogant; in horum rebellionem, Sacra inuehuntur; *Garizimitanum Templum* *Δὴ Ἐξήλω Ἰουὶ Ἑλληνίῳ* consecrant. Hinc *Antiochi* gratiam merentur, *Nicanori* et *Apollonio* commendantur, ac pro Graecis haberi iubentur.

4. Recefferunt tamen postmodum ab ea Idololatria; et mox sub *Ptolemaeo Philometore* refert *Iosephus* acrem contentionem inter *Iudaeos* et *Samaritanos*, de Sanctitate Templorum Hierosolymitani, et *Garizimitani*, *Lib. XIII. C. VI.* In qua ceciderunt sua causa Samaritani. Sed et *Christi* tempore de loco adorationis potissima adhuc controversia fuit.

IV. Schif-

IV. Schisma nouum in Iudaica Ecclesia. Oniae Templum.

1. *Auctor* Schismatis fuit ex Iosepho, Eusebio, etc. *Onias*, filius Oniae III. חנני Talmudicis, (sed his filius Simeonis Iusti habitus Onias II,) indignatus scilicet summum Sacerdotium Alcimo, a Pontificum cognatione alieno, datum esse auctoritate Antiochi Eupatoris, filii Epiphanis. Ququam dubium ex Iosephi *Halos. Lib. VII. C. XX.* annon pridem ante alius *Onias*, Simeonis filius, praeiuisset in Templo exstruendo in eodem Tractu Heliopolitano, fauente Seldeno, *Lib. de Success. C. VIII.* Discrepant utriusque narrationis tempus, locus, personae.

2. *Ratio* eiusdem schismatis, dum fugit Onias in Aegyptum; in Ptolemaei Philometoris et Cleopatrae coniugis gratiam se insinuat; struendi Templi Hierosolymitano aemuli veniam impetrat; erigit illud non *Alexandriae*, vt Talmudici volunt, qui de Templo Oniae II. sed vt Iosephus *Antiq. Lib. XII. C. XV. Lib. XIII. C. VI. Lib. XX. C. VIII.* in Agro *Heliopolitano*, haud longe a Memphis; eiusdem Templi summum se Pontificem constituit; Sacerdotes etiam et Leuitas creat, qui Sacra peragerent, omniaque haec ad ritum Iudaeorum instituit, etc. Hinc Oniae Templum appellatum est, בית חנני, oppositum בית המקדש *Domo Sanctuarii*, et inde Tanaquillus Faber in *Epistol.* deriuat contumeliam de culto *עֵזַר אֲשֵׁנו*, in Iudaeorum Sacris, frigida fatis coniectura. Quam contumeliae originem non siluisset Iosephus, in Iudaeos quosque Palaestinos et Hierosolymitanos verius dictae.

3. Potissimum autem *argumentum*, quo ad temerarium schisma defendendum vsus, fuit Oraculum *Esai XIX. 18. 19.* *Tempore illo erunt quinque Ciuitates in terra Aegypti loquentes sermone Cananaeo, Ciuitas destructionis (עיר החורם) dicetur vnaquaeque vel ex his vna. Tempore illo erit Iehouae altare in media terra Aegypti.* Vbi pro עיר החורם ex literarum affinitate legerunt alii

דחורם

היהוה ייר *πόλις ἡλιε*, (scil. respondebat *Heliopolis*, Soli apud Aegyptios sacra) vt reddunt *Symmachus*, *Hieronymus*, et *Chaldaeus Paraphrastes*. Et eo quoque trahunt eam praedictionem Iosephus, et Talmudistae; hinc et *Heliopolitanum* agrum ei Templo studio delegisse videtur Onias, confirmante Scaligero, *Animad. Euseb.* MDCCCLVI.

4. Duratio Schismatis fuit vsque ad excidium Hierosolymitanum sub Tito Vespasiano, post quod Oniae Templum a *Paulino* Alexandriae Praefecto dirutum fuit, anno Aerae Christianae LXXI. Plura habent Scaliger, Seldenus, alii rerum Iudaicarum et Annalium Scriptores.

V. Sectae Iudaeorum exortae hac Epocha.

I. Vt vero nihil malorum Iudaicae deesset Ecclesiae, ad Schisma accessit *haeresis*. His fere temporibus exortae celebratissimae illae Iudaeorum Sectae, quae doctrinae puritatem mirum in modum infecerunt. Iosephus tres tantum recenset *Antiq. Lib. XIII. C. IX.* et *Lib. XVIII. C. II.* *Pharizaeos*, *Essaeos*, *Sadducaeos*, eosque dissentientes *περὶ ἀνθρώπων πραγμάτων de rebus humanis*. De quibus, post Epiphanium, Scaliger in *Elencho Trihaer.* Drusius de *Tribus Sectis* Iudaeor. Serrarius, Baronius, Casaubonus, Godwinus, recentiores plurimi, et Parens noster *Dub. Euang. Part. III.*

II. Tribus istis addit Epiphanium in Panario *Scribas*, *Hemerobaptistas*, *Dositheanos*, *Herodianos*, alii etiam *Gaulonitas*, et hos omnes praecessere *Hasidaeis*, in *primo* Maccabaeorum. C. II. VII. De singularum seu origine, seu dogmatis, institutis, progressu, ad Historiae Evangelicae lucem, pauca huc omnino referenda.

De Hasidaeis.

I. Horum mentio *1 Maccab. II. 42. VII. 13.* *2 Maccab. XII. 6.* dubiumque est an *speciale* nomen Sectae inter Iudaeos, *ἐκασιαζομένων τῷ νόμῳ*, seu Legi addentium
ἐπι-

ἐπιμετρεῖα, cultum voluntarium, 1 *Maccab.* II. 42. supra
 צורקים *iustos*; an vero *commune* piorum omnium inter Iudaeos,
 qui חסידים dicerentur, id est, *sancti, benigni*,
 apud Iosephum ἀγαθὸν καὶ ἕτοιμον ἔχειν, *Antiq. Lib.*
 XIII. C. XVI. Posterius quidem censet Doctissimus Ca-
 saubonus *Exercit.* I. C. IX. prius Magnus Scaliger, in
Trihaer. Grotius, alii.

II. Atque ex *Hafidaeis* istis ortas censent Scaliger,
 Grotius, reliqui, Sectas Iudaeorum eminentes speciali san-
 ctitate, ut *Pharizaeos*, et *Essaeos*, factumque ex חסידים
Hafidi nomen חסידים *Essaeus*.

De Pharizaeis.

I. Origo *nominis* perperam Theophylacto deducta
 a voce Hebraeorum פריצים, quasi ἀποκεκομμένοι *refecti*,
 per vim separati. Nihilo melius alii dictos voluere quasi
 פרושים, המפרשים, *Legis interpretes*, quod nec om-
 nium Pharisaeorum, nec eorum tantum fuit. Verius ergo
 dictos existimarunt *Drusius, Scaliger*, alii, quasi פרושים,
 vel פרושין forma Chaldaeorum, aut פרושא Syrorum, i.
 e. qui ἀφωρισμένοι *separati* a reliquis, supra eos eximii
 dignitate, sanctitate, institutis, habitu. Qualis olim
 נזאריים *Nazarei*, quasi *separati* a communi aliorum con-
 suetudine. Hinc Pharizaei illius supercilium *Luc.* XVIII.
 II. et inde quoque epithetum huius Sectae, ut ἀκριβεστέ-
 ρως αἰετέως *Act.* XXVI. 5.

II. Prima illorum origo in obscuro est. Alii dedu-
 xere iam inde a *Viris Synagogae magnae*, CXX. illis,
 quorum Praeses fertur Esdras. Alii a temporibus *Iona-
 thae Maccabaei*, fratris Iudae, qui iam excessit CXL. et
 amplius annis ante Christi ἐπισημάντην, et ita Iosephus
Antiq. Lib. XIII. C. IX. *Lib.* XVIII. C. II. Alii a tem-
 poribus *Aristobuli*, vel *Alexandri Iannaei* Iudaeorum
 Regis, toto circiter ante natum Christum saeculo, sub quo
 Pharizaei multa iam apud Iudaeos gratia et auctoritate polle-
 rent, teste Iosepho *Antiq. Lib.* XIII. C. XXIII, XXIV. Alii re-

cen-

centorum originis, vt Hieronymus L. III. *Comm. in Esai.* C. VIII. 14. qui ortos cenfet Scribas et Pharizaeos tempore Schammai, et Hillelis Babylonii, in celeberrimis Iudaeorum Doctoribus, circa tempora Herodis, de quorum doctrina, dignitate, pignora, discipulis, cum primis de *Jonathan* Paraphrafta, Hillelis discipulo, et *Iehosua* praeceptore scilicet Iesu Nazareni, multa Talmudistae. Sed omnino vetustiores his Pharizaei, Hasidaeorum propago, vt supra.

III. *Αἰρεσις* vero Pharizaeorum omnium ἀκριβεστάτη, spectatur vel in *dogmatis* Pharizaeorum, vel in *morum praeceptis*, ac vitae instituendae ratione.

Dogmata potissimum fuere, ex Iosepho, Epiphanio, Euangelica Historia, etc. illud de Lege orali, seu Traditionibus non scriptis, ac Mosaicis, de Fato seu iam Stoico, seu vt aliis placet Mathematico; de Liberi arbitrii viribus seu indifferentia ad bonum, πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν; de μετεμψυχώσεις animarum bonarum; de Praeceptis Mosaeicae Legis varie restringendis, vt est *Matth.* V. et XXIII. Atque etiam alia, cum primis apud Epiphanium *κατὰ Φαρισαίων Haer.* XVI. Sed et faniora tradidere contra Sadducaeos, vnde accepti Populo.

Instituta vitae quod attinet, in genere omnia ad pompam externam, et eminentum pietatis schema, comparata. In specie affectabant Coelibatum, Ieiunium hebdomadale repetitum, decimationem vniuersalem, ablutiones superstitiosas, preces et eleemosynas in publico, dilationem τῶν Φυλακτικῶν καὶ τῶν κραισπέδων, etc. ex *Matth.* XXIII. *Luc.* XI. XVIII. ex Iosepho, Talmudistis, Epiphanio, Siida, aliis.

Addit Epiphanius *sonnium* superstitiosum super doctantibus tabulis, substratis lapillis, peculiare item *vestis* genus, etc.

IV. *Sectae* inter Pharizaeos, quales *septem* recensent Talmudistae, et ex iis Drusus, appellatas a singularibus institutis, gestibus, placitis, vnde *Sichemitae*, *Truncati*,

cati, Incisi, Contusi, Amantes, Timentes, Debili
solutores, qualis ille *Matth. XIX. 20.*

De Scribis et Nomodidascalis.

Pharizaeis in Historia Euangelica iungi plerumque solent *Scribae*. De quibus haec pauca:

I. *Nomen* quod attinet, dicti in Nouo Testam. *Γραμματεῖς* ad imitationem vocis סופרים. Nomen non *sectae* sed *ordinis* et gradus, quo varii nuncupati sunt inter Iudaeos. Distribui possunt in classes duas, vt fuerint alii *Politici*, alii *Ecclesiastici*, prout vox סופרים modo Principes, modo Sacerdotes notat. *Scribae Politici* fuerunt alii *Superiores* seu regii, qui Regibus a Secretis aut etiam a Consiliis, penes quos Instrumenta et Acta publica, et ratio temporum, gestorum, redituum; alii *Inferiores* et plebei, qui erant actuarii et notarii communes. *Scribae Sacri* seu *Ecclesiastici* fuerunt Doctores et interpretes Legis, quorum erat Scripturas interpretari, vindicare, populo in Templis et Synagogis praelegere *Act. XV. 27.* dubia ex Mose et Prophetis obiecta soluere, obscura declarare, enodare perplexa, Genealogias etiam Tribuum, Regiae maxime stirpis, asseruare, vnde consulti ab Herode, *Matth. II.*

II. Quod ad *originem*, deduxerunt eam alii, iam a temporibus *ante Captiuitatem*, statim a promulgatione Legis, aut a Dauide, vel a Iosaphato. Et sic quidam *Scribas* dictos esse qui etiam *Prophetae*, quorum esset conscribere Acta publica, ac Libros sacros, etiam mandata Dei referre ad Populum, inferenda Archiuis publicis. Hinc nuper P. Simon, sed de suo, Prophetas nil nisi Scribas fuisse publicos, quorum deinceps Acta compilata sint, et in compendium digesta. *Hist. Crit. L. I. C. II. III. IV.* Alii longe *post Captiuitatem*, a Schammai et Hillele, celeberrimis Hebraeorum Doctoribus, paulo ante Christi tempora, et sic Hieronymus; alii et verius, a temporibus quae proxime *Captiuitatem* exceperunt, deficientibus *Prophetis*,

phetis, nempe inde ab *Esdrae* temporibus, qui Scriba dicitur, *Esdra* Cap. VII. 6. Cuius scilicet potissima opera fuit Legem praelegere, interpretari, docere, Sacros quin etiam Codices recognoscere atque describere, vnde nomen et deinceps munus סופרים *Scribarum*. Quales vocantur a Talmudistis Viri CXX Synagogae Magnae, id est, טען Sanhedrin, cui praefedit Esdras.

III, Quantum ad Sectas, in varias feruntur familias divisi, Propheta nullo litibus decidendis superflite. Hinc natae *Pharizaeorum*, *Sadducaeorum*, et *Essaeorum* propages: Hinc Scribae alii de factione Pharizaeorum, *Act.* XXIII. 9. seu *Traditionarii*, alii Sadducaeis magis adhaerentes, qui dicti קראים *Scripturarii*.

IV. Frequens etiam in N. T. coniunctio Scribarum cum *Pharizaeis*, quia utrumque multi titulum possidebant, et qui Scribae ratione *muneris* et *officii*, Pharizaei esse poterant ratione *sectae*. Hinc qui *Matth.* XXII. 34. φαρισαῖοι, iidem Γραμματεῖς *Marc.* XII. 28. nuncupantur. Ut iidem qui Monachi professione, etiam saepe Doctorum officio defunguntur.

V. Scribis iunguntur in Evangelio saepe Νομοδιδασκαλοι, Νομοι. Hos multi eosdem cum Scribis crediderunt. Hinc qui νομοδός dicitur *Matth.* XII. 35. idem vocatur vnus ex *Scribis*, *Marc.* XII. 28. ita *Luc.* XI. 46. collato loco cum *Matth.* XXIII. 3. 4. Et sic apud Syrum Interpretem, promiscua nomina. Alii tamen vtrosque varie distinguunt, maxime quod Scribae etiam forensia et ciuilia tractarent *Matth.* XX. 18.

VI. Sed et arbitrati Viri Docti tria fuisse Doctorum inter Iudaeos genera,

1. סופרים *Scribas*, qui alias מקרא i. e. *Scripturarii* seu Legi scriptae addicti, alias νομοι et νομοδιδασκαλοι. Male, cum et δευτερωται ac Traditionarii essent Scribae posteriores, Pharizaeis saepe iuncti.

2. בעלי משנה *Sapientes*, qui dein בעלי תלמוד *Talmudistae*.
 3. דרשנים

K

3.

3. *Inquisitores*, concionatores, disputatores, seu מדרש בעלי *Doctores allegoricos*, in sectandis allegoriis, et mouendis soluendisque dubiis praestantes; quo aluferit Paulus, 1 *Cor.* I. 20. De Scribarum vestitu, aliisque, plura habet Epiphanius, ex eo recentiores.

De Sadducaeis.

Succedunt *Sadducae*i, de quibus aliquoties Historia Euangelica, et prolixè *Epiphanius*, Haeresi κατὰ Σαδδουκαίωv, post Iosephum.

I. *Nomen* quod attinet, et *originem*, male Epiphanius a צרק quae est *δικαιοσύνη iustitia*, verius alii (ex consensu Magistrorum) derinant a *Zadoko*, altero ex discipulis Antigoni Sochaei, clari post Simonem Iustum, annis ante Christum circiter CCXXVI.

II. *Occasio* fuit, quod hic cum Baithos vel Baitho, discipulo altero, Praeceptoris mentem et axioma, quasi nullum homini praemium esset post hanc vitam repositum, imperite detorsit, vnde hi in *Sadducaeorum* et *Karaeorum* patres euaserint, circa tempora Simonis II. Oniae filii, sub Ptolemaeo Euergete, annos ultra ducentos ante Christum natum. De tempore tamen et occasione non satis conuenit inter Talmudistas. De quo plura in Chronologia Iudaeor. a Vorstio translata, seu *Tzemach Dau.* Et huc de *Karaeis* spectat disquisitio. Quales dicti *Scripturarii*, soli Scripturae Textui adhaerentes, Traditionibus resectis. In quos abiere tandem *Sadducae*i, sed et *Samaritani*, nec confundendi tamen cum Sadducaeis veteribus.

III. *Aίρεσις* Sadducaeorum spectatur rursus vel in *dogmatis*, vel in *moribus* ac vitae institutis. *Dogmata* cumprimis fuere, non esse Prouidentiam circa mala, si Iosepho fides, imo plane nullam esse, si aliis; Dari *ἀδικα-Φορίων* circa bonum et malum; nullas post hanc vitam poenas esse, praemia nulla; animam hand esse corpori superstitem; non dari Angelos, substantias spirituales, *Actor* XXIII. 8. nec dari Resurrectionem corporum. Creditum vulgo illos admisisse solam *Legem*, nec habuisse Scripta *Prophetica* vt a diuino Spiritu profecta; quanquam nullo teste idoneo,

idoneo, nec vllibi hac Sadducaeorum haeresi notata a Iosepho, Christo, Paulo. Confusi videntur in hoc Capite Sadducaei cum Samaritanis, quod illi ex *Mose* obicerent contra resurrectionem, *Matth. XXII. 24.* hinc Christus ex *Mose* responderet, *vers. 32.* Ac disertè Iosephus, recepit *πάντα τὰ γεγραμμένα*, seu *πάσαν τὴν Γραφήν*. Certum nullam admisisse Legem oralem, nullas *δευτεράσεις*, vnde *למורה* *Lectionarii* seu *Scripturarii* audiuerunt.

Quanquam inuidiosius his quaedam afflicta videantur, aut secus explicata, ex odio quo in eos Pharizaei et *δευτερωται* ferebantur, ob reiectas Traditiones.

Mores Sadducaeorum quod attinet, describuntur Iosepho vt *ἀνδρες ἀγροί καὶ ἀπηνεῖς viri agrestes et feroces*, cum inter sese, tum erga alios: hinc et plebi iniusti, contra grati Pharizaei, *πολιτικώτατοι*, externa sanctitatis specie, et Traditionum apparatu, plebem fascinantés. *Sadducaeis* autem fauissè videntur Primores, Magnates, Aulici; vt *Pharizaeis* plebs supersticiosa. Herodes etiam putatur in Sadducaeos fuisse propensior, quorum scilicet dogmata magis ad palatum essent Tyranni, de futuro Seculo parum solliciti, vt solent etiam Regum parasiti. Et hinc quidam *Herodianos*, *Matth. XXII. 16.* habuere pro *Sadducaeis*, ipse Doctiss. Beza, oppositè ad *Pharizaeos*, de quibus erant Gaulanitae. Qua de re infra.

De Essaeis, siue Essenis.

Excipit Secta *Essenorum*, qui et *Essaei*, *Hessaei*, etiam apud Epiphanium *Osseni*, *Ossaei*, sed qui huic diuersi creduntur.

I. Originem *nominis* alii cum Eusebio Graccam, *Lib. VIII. προπαρασι*. C. XI. frequenti vsu Patrum, alii Syram, alii Hebraicam, et has rursum varias tradiderunt, seu a *חסה* quasi *latitantes*, seu a *חשה* quasi *silentiarum*, seu a *חסרית* quasi *Afidaei*, eliso *daleth*, Grotio postèrius probante, alterum Scaligero.

II. *Sectae* originem quod attinet, falluntur qui confundunt *Essaeos* cum *Afidaeis*, de quibus supra, hominum genere longe antiquiori, ex quibus tamen Pharizaeo-

rum Sectam prodiisse, hinc et rigidiorum alteram Essaeorum, est quam simillimum vero. Vnde tempus proxime excipiet illud Pharisaismi exorti. Granior longe est hallucinatio Baronii ad A. Ch. LXIV. qui etiam *Essenos* cum Christianos tum Monachos fuisse ppat, conuersos scilicet praedicatione Marci. Plinius vero in Nat. historia *Lib. V. Cap. XVII.* Essenos per aliquot *seculorum millia* stetisse tradit, *gentem aeternam*, ad Iudaeorum respiciens antiquitates.

III *Afcesis* rursus constitit vel in *dogmatis*, vel in *vitae institutis*, et de his prolixissime Iosephus, *Lib. II. de Bello Iudaico*, C. VII. Eusebius ex Philone, *περὶ*. C. XI. XII. *Epiphanius Lib. I.* etc. *Dogmata* in pluribus sana, de Dei Providentia, animarum ἀθανάσια, habitatione in corpore ut carcere quodam, migratione in loca vel gaudii vel poenae, etc. *Mythicum* quoque Scripturae sensum sectati perhibentur.

Vitae *instituta* prolixè enarrantur, nonnulla utique digna memoratu. Huiusmodi sunt,

De non admissis in Societatem nisi viris senibus et grauibus, apud Eusebium *Lib. VIII.* Praeparat.

De probata bonorum communione, et communibus Coenobiis;

De probato Coelibatu, paucis tamen apud Iosephum exceptis. Plinius, *sine vlla foemina, omni Venere abdicata.*

De vitae austeritate quoad laborem, victum, vestimenta;

De famulatio nullo admisso, neque in itinere viatico.

De artibus nullis exercitiis ex quibus aliquid ad homines rediret detrimenti, aut vitia fouerentur.

De statis precibus, et disciplinae totius εὐταξία, vere Afcetia.

De Sabbathi obseruantia plane superstitiosa, lepido apud Matthaeum Paris rei exemplo.

De studio singulari pietatis, beneficentiae, hospitalitatis.

De amore solitudinis, silentii, ἐρημίας Pythagoricae.

De probatis Discipulis quadriennio toto, et quatuor etiam inter suos Ordinibus, pro receptionis tempore.

De feritate animaduersionum in delinquentes, et panis etiam ac cibi omnis interdictione

De

Defuga litium, contentionum, disputationum, unde nec Christo molesti leguntur.

De vita theoretica, et ob victus simplicitatem in longum aevi proueda,

Vnde nihil mirum sit, *Monachorum* verissimam in iis imaginem deprehensisse Baronium.

De Henerobaptistis.

Mentio horum Epiphanio, *Lib. I. C. XVII.*

I. Origo nominis Graeca ἀπὸ τῆ καὶ ἡμεῶν βαπτίζεσθαι, a cotidiano baptismo seu lauacro; quae et profanarum religionum superstitionis fuit.

2. *Dogmata* eadem in caeteris quae Pharisearum, at de Resurrectione sensisse cum Sadduceis perhibentur.

3. Ad *instituta* vitae potissimum illud spectat, non posse hominem ζῆν viuere, supple apud Epiphanium, εὖ, καλῶς, καθαρώς, probe sancteque, sine baptismo cotidiano.

De Dositheanis.

I. Samaritanorum haec Secta, Δοσιθέης dicit Epiphanius, a *Dositheo* de quo multa Origenes *Lib. I.* contra Celsum.

Inter alia fertur se pro Christo venditasse, Mosis praenunciato, adulterasse Pentateuchum Mosis, apud Photium ex Actis Synodi ab Eulogio coactae. Sabbathi obseruantiam plane rigidam praescripisse, lepidis etiam exemplis.

II. Quoad mores, feruntur μονόγαμοι, vel etiam παρθενοῦντες, et omnino coelibes, apud Epiphanium.

De Herodianis.

I. Celebres hi ex Historia Evangelica, *Matth. XXII. 16. Marc. XII. 13.* et post eam, vel ex Persio *Satyr. I.* An vero *Ciuilis* factio, an *Ecclesiastica* quaedam, dubitatum est.

II. *Nomen* indubie ab Herode Magno, sed *familiae* origo obscura; aliis *Graeci*, et iidem qui Ἐλληνιστῶν, quae Drusii et Genebrardi, ex errore quodam, coniectura fuit; pro Ἰωνῶν *columbis Herodianis* (quas ex Deserto petitas Herodes cicurari, seu domi suae educari iussit, in Lexico Aruch, voce יון) legentium Ἰωνῶν *Ionas*, *Graecos*, ab Herode ex Deserto in locum habitatum traductos. Bezae sunt Herodis Parasiti, post Tertullianum, Epiphanium. Veterum aliis, hinc Baronio, nu-

per Volffio; qui Herodem haberent pro Christo, cense-
rentque impletum esse oraculum *Gen. XLIX. 10.* ut Iose-
phus ad Vespasianum traxit illud *Mich. V. 2.* Aliis, Secta
ex Paganismo et Iudaismo conflata; aliis, cum Hierony-
mo in *Matth. XXII* qui in Herodis gratiam censum persol-
uendum Caesari, vt Domino, contenderent, Zelotis oppositi.

De Gaulanitis vel Galilaeis.

I. Factio haec rursus potius *Ciuilis* quam *Ecclesia-
stica*, de qua Iosephus vt quarta quaedam, *Antiq. Lib.
XVIII. C. I. II.* et de Bello Iudaico, *Lib. II. C. VII.* et ex
eo Origenes, Eusebius, alii.

II. *Nomen* Sectae a *Iuda* quodam Gaulanite, secun-
dum Iosephum, vel Galilaeo, *Astor. V. 37.* Socio eius-
dem Sadduceo Pharizaeo: *Simonem* etiam Galilaeum alibi
dixit Iosephus, de Bello Iud. *Lib. II. C. VII.* Qui vero hunc
ante memoratur Theudas, *Act. V. 36.* alius est ab eo de quo
Iosephus sub Claudio, *Antiq. L. XX. C. II.*

III. *Tempus* exortae factionis fuit non longe a nati-
uitate Christi, post relegatum Archelaum, Quirinio tum
census in Iudaea exigente, quae est *ἀπογεαφῆ* secunda
Scaligero, sed Valesio ad Euseb. *Lib. I. C. V.* primae *ἀπο-
γεαφῆς* continuatio.

IV. Vnde *ocasio* isti factioni, duce Iuda, impatienter
ferente istas exactiones, negante tributa Romanis per-
soluenda, aut Caesarem pro Domino habendum, aut pre-
ces pro eo fundendas. Hinc *Zelotae* nuncupati, per quos
pestifera fuit Respublica Iudaeorum, ex Iosephi Historia.

Hi ne vero sint illi *Galilaei*, quorum sanguinem Pi-
latus miscuisse dicitur cum Sacrificiis, *Luc. XXI. 1.* an de
Samaritanis accipiendum, inter Eeruditos disceptatur.

VI. *Maccaebaeorum* vltima. Status rerum Iu-
daicarum sub Herode Magno.

Summatim huc spectant, quae pluribus Iosephus inde
a *Libro XIV.* Antiquitatum, et de Bello Iudaico *Libro I.*
executus est. Huiusmodi sunt

I. *Mala* Reipubl. et Ecclesiae ex contentione *Hyrca-
ni* et *Arislobuli* fratrum, Alexandra matre extincta, annis

ante

ante Christum natum plus minus LX. Hinc per Aristobulum, iunivrem licet, inuasio Principatus; Hyrcani ad Aram Arabum Regem, suasu Antipatri Idumaei, per fugium; mox Hierosolymitana per eundem Hyrcanum obsidio, dehinc obsidionis per Aemilium Scaurum disturbatio; Pompeii in Urbem aduentus; tum Templi, quod ab Aristobuli partibus tenebatur, occupatio; Reseratio Sanctuarii per Pompeium, de qua et Cicero pro Flacco; Aristobuli et liberorum Romana vincula; Hyrcani restitutio in Pontificatum et Ethnarchiam; Caesaris in Aristobulum, post Romam a Iulio occupatam, Pompeii in Hyrcanum favor; factum Aristobuli et Alexandri filii per Pompeianos; exspilatio Templi Hierosolymitani per Crassum, ad 10000 auri talenta, si Iosepho fides est. Et quae talia apud Historicum.

IV II. Gradus ad dominationem in *Antipatro*, Patre Herodis Magni, Idumaeae Duce. Per hunc enim consilia Hyrcano, ad res gerendas segniori, suggesta; Hyrcanus Iulio Caesari conciliatus, ac eiusdem Antipatri industria, postposito a Caesare Antigono Aristobuli filio (licet hic oppressus a Pompeianis) restitutus in Pontificatum; Iudaeae autem et Syriae Procuratio Antipatro commissa, cum amplissimis honoribus et privilegiis, solo Pontificalis honoris Titulo penes Hyrcanum. Falluntur qui Antipatrum gente Iudaeum fuisse censent.

III. Primordia *Herodiani* dominatus, dum hic Galilaeae a Patre praefectus, admodum iuuenis, post a Cassio etiam praefectus Coele-Syriae, multa fortiter gerit; Antigoni Aristobuli filium, Galilaeam inuadentem, profligat; cum Hyrcano in gratiam redit, desponsata Herodi Mariamne Aristobuli ex filio Alexandro et Hyrcani ex filia nepte; ab Antonio cum Phasaëlo fratre Tetrarcha renunciatur; post restitutis Antigoni rebus Parthorum auxilio, et Phasaëlo fratre sublato, desperabundus Romam ad Antonium fugit; tum Antonii et Octauii fauore, medius inter vtrumque *Iudaeorum Rex* a Senatu proclamatur, Coss. Cn. Domitio Calpurnio, et C. Asinio Pollione. Et hinc prima Regni Herodiani Epochae ducitur, Olympiadis CLXXXV. anno I, licet apud Iosephum notetur Olympias ε'. κςε' π'. κςε' δ'. CLXXXIV.

IV. Post haec Herodes Antigonum deiecturus in Iudaeam redit, et post triennale fere bellum Antigonum opprimit, Parthos e Syria pellit, Hierosolyman XXVII annis postquam occupata a Pompeio fuerat, eodem die expugnat, sicque tandem (Assamonaeorum principatu in *Antigono*, mox securi percusso ab Antonio, extincto) Iudaeae regno placidus potitur, annis ante Aeram vulgarem circiter XXXVII. Et haec prolixius Iosephus toto *Lib. XIV Antiq.* Atque hinc secunda Epocha Regni Herodiani, nempe a capta Hierosolyma, anno tertio desinente *Olymp. CLXXXV. Iuliano IX. Augustali* a caede Caesaris VII. variis hic Eusebii et sequacium parachronismis, de quibus Parens noster *Dub. Eu. Parte II.* Baronius vero tertiam Epocham regni Herodiani de suo finxit, in suo *Apparatu.* Nempe a facta ab Augusto post Aciacam victoriam, confirmatione regni Herodiani, quo scil. excidisset ob adiutum Antonium, *Olymp. CLXXXVII. anno II.*

V. *Sanguinis Hassamonaeorum* totalis per Herodem deletio. Nempe ex Iosepho intelligitur, *Lib. XV. Antiq.* quomodo Herodes Hyrcanum seniore, autem Mariamnes ex Alexandra filia, a Parthis dimissum, e Babylonionia gratiae obtentu ad se reuocauerit; Aristobulum iuniorem fratrem Mariamnes, Pontificatu primum donatum, mox in piscina suffocatum, clandestino consilio sustulerit, Juliano XI. Hyrcanum octogenarium, ante suam ad Caesarem professionem, post deuictum Antonium, Assamonaeorum postremum, interfici iusserit; Alexandram focrum et Mariamnem coniugem sub custodia primum detinuerit, post coningem, Salomes fraudibus veneficii accusatam, et adulterii suspectam securi percusserit, sera mox poenitentia, hinc et matrem eius Alexandram, nouarum molitionum postulatam, parem fortiri exitum voluerit; tandem quicquid reliquum esset ex cognatione Hyrcani e medio nefarius sustulerit, nequid reliquum esset ex familia aut cognatione Maccabaica, *Sceptro* sic a *Iudaeis* ablato, referente Iosepho *Lib. XV. C. XV.*

VI. Ser-

VI. *Seruitus* Iudaicae *Ecclesiae* sub regno Herodis multis documentis conspicua. Hinc idem Herodes Concilium maius Iudaeorum, dictum *Sanhedrin* oppressit, diuisum in plura Synedria minora; in omnibus Antonio primum tum Octauio Caesari gratificari conatus est; Iudaeorum ritus cum profanis miscuit, institutis Ludis et Certaminibus athleticis, ac Caesaris trophaeis erectis, post Aquila aurea supra maiorem Templi portam suspensa. Vrbes incluyas, Samariam a se instauratam, et Turrim Stratonis, *Sebasten* et *Caesaream* in honorem Augusti appellauit. Pontifices pro libidine vel constituit, vel summouit; Iudaeos innumeris caedibus, terrore, molibus passim extructis, coercuit; Aquilae aureae pro Templo suspensae effractores, scil. Iudam et Matthiam Doctores, omnesque complices, viuicomburio affecit; Dauidis sepulchrum, spe ingentis thesauri, mox delusus eo aperto, violauit; tandemque (vt mittamus alia; et Bethleemiticam cum primis fragem) morti se proximum ratus, Hierichunti molitus est immane in Iudaeos facinus, scil. nobilissimorum Iudaeorum mox ab excessu suo internecionem, quos eo euocatos et in Circo conclusos, voluit immisso milite iugulari, quam primum expiraret, vt ita Iudaei se lachrymis decorarent. Haec pluribus Historicis *Lib. XV.* et *XVI. Antiquit.*

VII. Templi Hierosolymitani per Herodem instauratio.

I. Describit hanc Iosephus *Antiq. Lib. XV. Cap. ult.* et *de Bello Iud. Lib. VI. C. VI.* et *XVI.* hinc Iosippus Gorionides *Lib. V. C. XXV.* in nonnullis diuersus ab *Ἀρχαιολόγῳ*. Summa est; vt anno XVIII. Herodiani regni molitus sit Herodes (aucupandae gratiae Iudaeorum) nouam constructionem Templi, ab ipsis fundamentis, ampliore ambitu, et conuenientiori altitudine; vt materias in hunc finem praepararit; vt Artificum decem millia selegerit; vt a fundamentis, ex saxo ingentis magnitudinis (vnde voces illae *Marc. XIII. 1.*) Templum excitarit; vt operarum, columnarum, porticum, portarum; murorum, etc. magnificentia, et amplitudine, supra Aedificium prius, exornauerit;

uerit; vt etiam *vitem auream*, e qua botri ingentis magnitudinis dependebant, supra columnas, in interiore Portae Templi parte, exerit, non profecto in Sanctuario (de quo locus decantatus Flori) vbi *ἐν τῷ ἁγίῳ ἑλαιῶν*. Et tantum quidem opus ipsum intra annum *decimum* nullis: vt Iosephus, pluuiis interruptum perfecisse Herodem referunt. Quod intellige de interiore parte Templi absoluta mensibus XVIII, vti connexa aedificia et exteriora annis VIII, structura reliqua, vt videtur, per multos annos continuata. Haec omnia, vti factam dedicationem Templi, et celebrationem anniuersariam, pluribus videtis apud Iosephum. Et Herodiani huius Templi *ἱεροδοκίαν* dedit ex Iosepho Lud. Capellus, in Historiae Apostol. calce. De *Atrio Gentium* lis illi contra affirmantes istud Hebraeos, et Villalpandum, nec enim hoc aliud fuisse quam priorem et exteriorum Templi ambitum, quatuor Porticibus distinctum, Iudaeis et Gentibus communem.

II. Atque hinc commodum intelligi videntur anni illi XLVI. de quibus *Ioh. II. 20.* dum a coepta Templi structura anno regni sui XVIII. vixit Herodes ad Nat. Ch. ann. XVI. vel XVII. dehinc anni circiter XXX. ad tempus illud quo Iudaei verba haec ad Christum habuerunt, vnde exsurgunt anni XLVI. completi, nempe a coepta Herodis structura. Consentit et doctissimus Ligtfoot, Obseruatis suis ad *Ioh. II. 20.*

VIII. Herodis quaedam alia.

In compendium redigimus hoc loco Herodis reliquam historiam. Puta Regis in familiam propriam atrocissima facinora; itinera ad Caesarem Rhodiense, Romanum; caedes filiorum Aristobuli, et Alexandri ex Mariamne, postea et Antipatri filii, et Iosephi fororii, alias id genus; animi frequentem aegritudinem, et *αὐτοχρησίαν* sibi ex ea intentatam; mutationes vltimae voluntatis, facta ab Augusto potestate haeredem scribendi; Testamentum quo tandem Archelaum post se *Regem*, Antipam Galilaeae, et Philipum Trachonitidis, Gaulanitidis, Batanaeae, et Paneadis *Toparchas* constituit, praeter legata alia; mortem denique

que Herodis, *septuagenarii* circiter, nullo tamen certo charactere anni eius emortalis, vt nec durationis Regni, quam a morte Antigoni et captis Hierosolymis, alii annum XXXIV cum Iosepho, alii cum Scaligero XXXVI. faciunt. Baronius, postquam primum regni Herodiani annum coniecisset demum in confirmati ab Augusto regni Herodiani tempus, post actiacam victoriam, necesse habuit mortem Herodis ferius coniecere in annum VIII. aerae christianaes, Iulianum LL. De his pluribus Iosephus, vsque ad *Cap. XI. Lib XVII. Antiq.* in quo res sub Archelao memorat. Sed haec ad Historiam Ciuilem magis quam Sacram spectant. Adeantur Annalium Scriptores, Lud. Capellus, Parens noster, *Dub. P. II.*

IX. Facies Ecclesiae sub tempus Natiuitatis Christi.

Corruptissimus sane illius status intelligitur,

I. Ex *Sectis* praedictis Iudaeorum, ex factionibus, schismaticis, oppressione Herodiaua, Romana. Et haec quidem coeperat dudum ante Christum natum. Pompeius enim occupata Hierosolyma, annis amplius LX. ante Christum natum Iudaeos Romanis tributarios fecerat, multasque eorum vrbes Prouinciae Syriae attribuerat, Alexandrum etiam Aristobuli filium securi percusserat; Gabinius Proconsul Syne-
drium magnum in quinque conuentus diuiserat, Hierosolymitano additis Synedriis Gadaris, Hierichunte, Amathunte, Saphoris: M. Craffus Templi Hierosolymitani thesauros omnes expilarat, aestimatos Iosepho 10000 talentis: Caesar Antipatrum Iudaeae procuracione donauerat, genere Idumaeum, hominem ambitiosum et callidum. C. Cassius Iudaeos exactiombus emunxerat. post Caesarem interfectum, sub hasta etiam diuenditis Iudaeis: Antonius seruitutem au-
xerat, accusatoribus Herodis ac fratrum interfectis. et Antigono Rege, ex Affamoneorum illustri sanguine, securi percusso in vrbe Antiochena: Augustus denique, in cuius gratiam omnia Herodes. quemque hic vt Dominum semper respexit, nihilo meliorem Iudaeorum conditionem fecerat, quos et in censum retulit, iterata descriptione, quorum et regionem, Iudaeam, Samariam, et Idumaeam, in prouinciae formam redegit mortuo Herode. Haec videtis vel apud Iosephum *Lib. XIV et XV Antiq.* Vt Historicos Romanos taceam.

II. Ex *Pbarizaiea* cumprimis doctrina, et Legis peruer-
sione, et occultatione clauis Propheticae, ac traditionum vana-

nita-

nitate, vt et allegoricarum ad Textum S. explicationum, ac sensus שרר. Adde impia Sadducaeorum dogmata, circa statum nouissimum, in quae toties inuehi Saluatorem necesse fuit, tantum abest, quod supponit P. Simon in *Hist. Crit. Lib. I. Cap. XVII.* vt Christus, in Scripturis interpretandis, Pharizaeos imitatus sit, postea et Paulus, Traditiones easdem, et allegorias sectati, non vero sensum litteralem. If. autem Vossius, Christum graece locutum ad solum Textum Graecum τῶν LXX respexisse, hunc solum Hierosolymis in Synagogis personuisse etc.


III. Ex corruptissima speciatim doctrina de *Messia*, eiusque *Regno*, quod terrenum tantum, sublata qua premebantur seruitute, plerique sibi promittebant. Adeo vt vix ex Discipulorum animis, nec nisi Christo ad Patrem recepto, euelli id praedudicium potuerit. Quod in hunc diem velum Iudaeorum cordibus obductum manet. Intelligebant sane adesse tempus quo, post translatum a Iudaeis sceptrum, post tot vaticinia, prophetica verius quam *Sibyllina*, et inter suos verius quam inter Romanos vulgata, postque Eliana annorum millia quatuor, *Messias* tandem exhiberetur. Sed praedudicio hoc fascinati Christum non agnoscere. Hinc Pseudo-Messiae tum surgentes, vel turbantes Theudas, Iudas Galilaeus, alii. Imo regnantem Herodem, fauentemque Iudaeorum sacris, quanquam alienigenam nonnulli tum pro Messia habuisse videntur, parafiti saltem. Nec tamen inde confece- rit If. Vossius, fecisse id plerosque aut prudentiores Iudaeorum, vel aliquot post seculis huius Pseudo-Messiae Aeram computasse Iudaeos Hispanos, ac sanxisse etiam legislatoria potestate.

IV. Ex perexiguo bonorum *residuo*, vt Elianis temporibus, expectantium veram liberationem Israëlis, et aduentum Regni Dei; inter quos fuere pauci, ex Historia Evangelica, qui exhibitum in Christo Iesu Messiam mira obsequii promptitudine exceperunt, Simeon senior, Zacharias sacerdos, Iosephus, Cleophas, Elizabetha, Anna Prophetissa, etc.

V. Porro fabulis ac commentis de iis, quae aduentum Christi proxime antecesserunt, finis nullus est, ne apud ipsum Baronium in *Apparatu*, ex Pseudo-Sibyllinis, Nysseno, Oratio, Damasceno, Suida, Nicephoro, etc. Huiusmodi sunt de responso Apollinis ad Augustum, de Ara primo eniti Dei, de Parentibus Mariae, de consecratione Virginis, de Iosepho sponso, etc. Adi de hisce Cataubonum. Alia ad Hist.

Nou. Test. referenda fuerint.






Fc 1638

8

Vol 18-3

D
m. C.



B.I.G.

Farbkarte #13

FRIDERICI SPANHEMII FR. F.
INTRODVCTIO
AD
CHRONOLOGIAM
ET
HISTORIAM SACRAM.
IN VSVM
LECTIONVM ACADEMICARVM
RECENSVIT BREVESQVE ADNOTATIONES
ADIECIT
S. E. T. STVBENRAVCH
HIST. S. ET ANTIQ. PROF.



HALAE,
IMPENSIS IOHANNIS GODOFREDI TRAMPIL.
c1o 1o cc lxx.

